



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1602**

Cap. duodecimi Libri sunt XXIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14077**

tè se Religiosus obstrinxit. Deinde oppones: Religiosus, qui statuit nihil aliud efficere, nisi quod debet, se multis peccatorum periculis obijcit; nā timere debet, ne vota, aut sui instituti leges, & iura aliquando perfringat: quo grauius peccat. *Respondeo*, negari non posse, quin Religiosus votis, & Regulæ præceptis adstrictus peccet, si se peccati periculo exponat, in ijs faciendis, quæ alioqui exequi, & obire Superiorum iussu, legē, aut regulæ præcepto compellitur: sicut etiam secularis, si decernat præcepta tantummodo seruare, delinquit, si ex hoc, quod firma animi deliberatione constituit omnia in vniuersum consilia prætermittere, in peccati periculum incurrat. Et reuera, qui talia decernunt, ac statuunt, non raro se huic periculo, & discrimini opponunt.

Quare disitendum non est Religiosum periclitari, si ab abstinentijs, & ieiunijs desistat, ac cesset, si se profanis negocijs implicet, si passim silentium contra Regulam perfringat, si nihil studij, curæ, & diligentie in rerum spiritualium meditatione ponat, si frequenter sui instituti Regulas, & Superiorum consilia prætermittat, si nunquam in rerum caelestium contemplationem, & salutarem librorum lectionē studium conferat, si cogitationes, & affectus animi non reprimat, si sensus corporis non moderetur, ac temperet, si nihil curet corpus castigandum, carnem macerandam. Tertiò oppones: Religiosus pluribus est vinculis obligatus, quā is, qui nullam Religionis Regulam proficetur: ergo grauius peccat, si Dei consilia non seruet. Deinde, videtur grauius peccare, si Dei consilia sequi renuat; tum quia contemnit ea, tum quia obstinatori est mente, & voluntate: sicut is etiam delinqueret, qui voueret, se nullum Dei consilium seruaturum. *Respondeo*, Religiosum pluribus esse vinculis alligatum, quoniam est tribus votis adstrictus: nec ideo contemnere consilia, quia recuset ea sequi, & seruare: is consilia despicit, qui ea prætermittit, vt inutilia, futilia, & vana, aut quia sunt à Deo proposita, & data. Votum verò omittendi consilia in vitio, & culpa est, quia vanum, & Deo minimè acceptum, & gratum. Item voluntas, qua animus firmatur, ne Dei consilia seruemus, peccatum est, quia vanum, & temerarium est, sic animum firmare.

*Duodecimò* *Quæritur*, An Religiosus grauius peccet, si idem peccati genus committat, quod secularis? *Respondeo* S. Tho. 2. 2. q. 186. art. 10. & eū sequutus *Astensis in sum. lib. 6. tit. 47. art. 2. quest. 6.* Angel. *religiosus. q. 65. Siluest. religio. 6. q. 14.* & Antonin. 3. par. tit. 16. cap. 10. §. 2. deterius peccare, si votum violet; scilicet si aliquid, vt sibi proprium capiat, si non pareat, si cum foemina rem habeat. Deinde, si per contemptū delinquat, quia est magis ingrato animo in Deum. *Postremò*, si cum peccat, in alterius offensionem incurrat, si suo exemplo, alios ad malum inuitet, flectat, & moueat: illoqui leuiores sunt in Religioso peccata, quia solent esse minus voluntaria. Religiosus non se in peccatum abijcit, non se præcipitat, labitur quidem, sed se sustinet, quātum potest, rursusque statim erigit ad saniores mentem reuertitur, quia pluribus, & longè maioribus vitæ bonæ præsidijs adiuuatur, ex quo fit, vt cum cadit, de

furgendo cogitet, nec ita grauius allidatur, nec sit pronior ad relabendum: nam post lapsum fieri solet cautior, & firmior. *Conuenit* quoque cū S. Thoma, *Basiliius in Regul. breu. cap. 51.* qui cū quæreret, num in Religioso peccata æqualia essent, atque in cæteris hominibus, responderet, Religiosus, cum de quærenda Dei gratia sollicitus sit, & in ea totus laboret, non de industria, sed casu aliquo, & præter sui animi sententiam labitur.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

IOANNIS AZO-  
RII LORCITANI, E SO-  
CIETATE IESV,

INSTITVTIO-  
NUM MORALIVM,

LIBER XII.

De Religioso Statu.

CAPVT PRIMVM.

De ingressu in Religionem.

**N**imaduertendum est, ingressum in Religionem aliquando appellari, cum quis per professionem in Religiosorum sodalitatē admittitur: ita vt ingressus huiusmodi, vt dicā inferius, nihil aliud sit, nisi Religionis professio, qua quis verè, & propriè, & simpliciter Religiosus efficitur: & hoc modo sumitur in cap. *Quia ingredientibus. 19. questio. 3.* & in *Ambrosio. Ingressi. c. De Sacrosanct. Eccles.* Sed interdum ingressus, est cum quis Religionis habitum suscipit, & inter tyrones, ac Nouitios censetur ad probationem receptus: & de hoc in Religionem ingressu in præsentia disputamus.

*Primò* *Quæritur*, An in Religionem ingressum debeat consultatio diuturna præcedere. Hanc quæstionem tractat S. Thomas *secundā secundæ quæstio. 189. artic. 10.* vbi quærit, vtum sit laudabile, si aliquis religionem ingrediat, absque multorum consilio, & diuturna deliberatione: & respondet, de ipso in religionem ingressu per se nihil consultari oportere: nam religionis institutum CHRISTI Domini consilium est, & ingressus in religionem est melioris vitæ susceptio: qui hoc dubitat, CHRISTI DOMINI auctoritati plurimum derogat, qui de religiosa vita amplectenda consilium dedit. Nec, inquit, S. Thomas consultare quis debet, an vites habeat ad religionis iugum deferendum, quia qui religionis institutum capessit, non suis viribus inni-

tuntur,



cantur, sed auxilio Dei, iuxta illud Isaia 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, sicut aquile, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Si tamen, ait S. Thomas, sit aliquod speciale impedimentum, puta infirmitas corporis, vel onera alia, qualia sunt debita, vel aliqua alia similia, in his requiritur deliberatio, & consilium cum ijs, de quibus speratur, quod profint, non impediant: in quibus tamen non est diuturna deliberatio habenda. Vide Hieron. in epist. ad Paulinum ait: *Festina, quae se, & herenti in salo nauicula funem magis praecide, quam solue.* Tertio modo considerari potest modus religionem intrandi, & quae religionem aliquis ingredi debeat, & de talibus potest haberi consilium cum ijs, qui non impediant. Hec Sanctus Thomas, cuius auctoritas in re tam graui sufficeret. Sed Maior in 4. dist. 38. q. 16. f. *Dubietur, non probat tanti doctoris sententiam tam firmis argumentis, & rationibus comprobata.* Nullus, inquit, debet religionis onus subire sine bona consultatione, & deliberatione conferendo cum viris sapientibus, & Deum timenibus, non cum religiosis, quia omnes te ad suam religionem attrahere nitentur, si sit futurus eis utilis in spiritualibus, vel corporalibus. In primis oportet videre, an in religione, qua quis proficere intendit, sancte, & pie viuatur, an non. Item oportet prospicere, an is, de quo dubitatur, possit ferre onus rigidae religionis. Non placet, quod in quae. vlt. in 2. 2. B. Thomas dicit, non confidat in proprijs viribus, sed in ope, & virtute diuina. Dico non esse expectandam a Deo miraculose nonam fortitudinem ob religionis professionem. Sic maior ibi. Sed quantae sit auctoritatis Maior, si cum S. Thoma conferatur, quis non videt? Quam multis argumentis, & quam firmis rationibus S. Thomas suam sententiam confirmet, quis ignorat? Profecto ego non dubito, quin aliquando multi fallantur, dum varias morae causas interponunt, vt a salutaris religiosae vitae suscipiendae consilio, ad quod diuinitus inuitantur, auocentur. Videndum est, num sit daemonis ars persuadentis in re tam graui diu esse consultandum, mature deliberandum, amicos consulendos, vires explorandas, bonorum operum exercitationem debere praecedere, quae viam parat, ac munit ad difficiliora, & seueriora religiosae vitae officia obeunda. Nam clamant sancti Patres rumpenda esse moras, nihilque omnino cunctandum: *herenti in salo nauicula, funem magis praecide, quam solue,* ait Hieronymus Epist. 103 ad Paulin. Et Chrysof. hom. 57. ad populū. *Dum tibi seruens est hic amor, abi statim ad illos ipsos Angelos, eumque magis accende. Ne dicas, alloquar prius propinquos, resque meas expediam. Torporis initium est haec dilatio. Patrem sepelire discipulus voluit, nec id Christus permisit. Quid ita? quomodo acer instat diabolus, vt se in animum insinuet, etsi vel breuem arripuerit vacationem, vel prorogationem, ad magnū inducit teporem.* Ideo quidam admonet, ne differas de die in diē. August. lib. 8. Confessio. c. 5. suam illam tarditatem, & cunctationem preteritam luget. Et c. 6. duos illos fratres maxime collaudat, qui lecta Antonij vita a deo exarferunt ad imitandum, vt ex illa hora, illo ipso, quo legerant loco, Deo sese consecrarint. Anselmus Epist. 1. *Festina ad tantum bonam quia nullo bono efficacius peruenies ad summū bonum. Plures vidi promittentes, & differentes, quos ita mors tulit, vt nec id perficerent, quo se impediabant, nec id inciperent, quod promittebant.* S. Bernardus sermone super illud. *Ecce nos reliquimus*

omnia. Quantos mundi sapientia supplantat, & ceptum in eis exinguit spiritū, quē voluerat Dominus vehementer accendi. Noli, inquit, precipitater agere, diu considera, diligenter inuere. Magnū est, quod proponis, & opus habes multa deliberatione. Experire, quid possis, amicos consule, ne post factū pantere coningat. Haec sapientia mundi terrena, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitae, mater repudiat, quae solet Deo vomitum pronocare. *Caue tibi, ait. Vt quid enim? cū à Deo verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione. Vocat magni consilij Angelus, quid aliena consilia praestolaris? Quis enim fidelior, quis sapientior illo? Deduc me Domine, & deducar, fortior esto, & inualefco. Noui ego quenam sim, quae oportet fieri cito. Ab ore putei gehennae eripior, & inducias petam, & retardabor, & cunctabor exire, si forte interim sua aliquid? Abscondi ignem in sinu meo, & exustio iam lateret, & nauis visceribus, iam sanie defluente, diu mihi deliberandum est, an exersiscar, an excusiam, an abijciam illum? Magnū omnino est, quod offertur, sed eo vitij, libentium, & festinantis suscipiendū, & obuijs arripendum manibus cū seruore, & hilaritate. Probat autē seipsum, qui de propria virtute praesumit. Nam diuina quidem omnino probata est, amicos consulat, qui non legit, inimici hominis domestici eius. Quid frequentat Euangelium, qui Euangelio non obedunt? At in eo sane legimus promittenti cuidam sequi Dominum, sed defunctū prius patrem sepelire volenti responsum ab eo, vt sieret mortuos, sepelire mortuos suos. Alteri quoque tantum ius, qui in domo erant, vale dicere capienti, nemo, inquit, mittent manū ad aratrum, & respiciet retro, optus est regno Dei. Hec Bernardus. Et Epist. 106. quodam suus nouitios alloquens, laudat eos, quod religionis consilij opere exequuti essent, quia non apparebit, inquit, vacua vltra in vobis Crux Christi, quae admodum in multis filijs diffidentiae, qui tardantes couerti ad Dominum de die in diem improuisa morte subtrahunt, in puncto descendunt ad inferos. Et Epist. 105. *Eia ergo festina, exi, recede, moras in anima tua morte iustorum, quo fiant, & nouissima tua hora similes fuge, quae, in via peccatorum ne steteris. quomodo viuere potes, vbi mori non audes? Et scribens ad alteri, quia ad studia literarū absolueda annuas quasi inducias postularat. Epist. 108. obsecro, inquit, redi ad cor, & aduerte hunc annum terminum, quem tu tibi indulsisti in iniuriam Dei, non esse annum placibile Domino, sed discordiae seminarium, irae fomitem, murmurentum Apostasiae, qui spiritum extinguat, gratiam intercludat, teporem afferat illi, qui Deo solet vomitum pronocare. Denique S. Thomas opusculo 17. c. 9. & 10. multis argumentis, & firmissimis rationibus probat, de se hac non esse diu deliberandum, nec opus esse multorum consilio, obediendum esse Deo vocanti, quam citissime, eiusque vocem nulla interposita mora exequendam quamquam quidam Maioris sententiam sequuti dicat, non esse ad religionem conuolandum statim, vt consilij, & propositum in mentem venerit, relicto contemptoque seculo capessere religiosae vitae institutum. Sed quidquid isti dicant, audiendi sunt Patres, quos retuli, Hieronymus, Chrysofomus, Augustinus, Anselmus, Bernardus, qui sincere, & pure veritate docuerunt. Audiendus S. Thomas, qui quaestionem hanc bis tractauit, & rem ipsam multis argumentis, & rationibus confirmauit, opposita argumenta grauissime confutauit.**

Secundū Quæritur, Vtrum nobis liceat ad Religiosum institutum capeffendum quempiam inducere? Respondeo cū S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 9. & 10.

& Mai.



& Mai. in 4. dist. 38. q. 16. §. Dubitatur, licere: is enim, cui religioſæ vitæ institutum perſuademus, hac ratione à mūdāz vitæ periculis prope innumeris auocatur, & ad Chriſti conſiliū amplexandū adducitur. At tria, inquit, S. Thomas in hoc aliquando peccantur, Primò, cum quis minis, metu atque terroribus id vitæ genus ſuſcipere atque amplecti compellitur: qua ratione interdū parētes, fratres, aut cognati ſuos in Monasteria detrudunt. Deinde, cum quis muneribus per ſimoniam datis, & acceptis pertrahitur, c. *Quam pio. 1. queſt. 2.* Poſtremò, cum quis mendacijs, aut fraudibus, & alijs malis artibus permouetur, aut impeditur, quo minus ſe ad religioſam vitam conferat. in c. *preſens. 20. q. 3.* cautum eſt, ne vllō modo quis per vim ad habitum Religionis ſuſcipiendū, aut vitā Monasticam proficiendam trahatur. Et Synodus Tridēcina ſeſſ. 25. c. 18. de *Regularib.* anathemati ſubijcit eos oēs, cuiuſcunq; qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos quā laicos, &c. Verba Concilij, hæc ſunt: *Anathemati ſanctæ Synodus ſubijcit omnes, & ſingulas perſonas, cuiuſcunq; qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quam Laicos ſeculares, vel regulares, atq; etiam qualibet dignitate ſuſgentes, ſi quomodocunq; cogētur aliquā Virginem, vel viduam, aut aliā quamcumq; mulierem inuitam, præterquam in caſibus in iure expreſſis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cuiuſcunq; Religionis, vel ad emittendam profeſſionem, quique conſilium, auxilium, vel fauorem dederint: quique ſcientes eam non ſponē ingredi Monasterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emitte- re: quo modo eidem abſti, vel preſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint. Simili quoque anathemati ſubijcit eos, qui ſanctam Virginem, vel aliam mulierem volūtatē vel accipiendā, vel voti emittendā quoquo modo ſine iuſta cauſa impederint. Eaſque omnia, & ſingula, que ante profeſſionem, vel in ipſa profeſſione fieri oportet, ſeruentur non ſolum in Monasterijs ſubiectis Episcopo, ſed & in alijs quibuſcunq; Ab his tamen excipiuntur mulieres, que pœnitentes, aut Conuerſitæ appellantur, in quibus Conſtitutiones earum ſeruentur. Et c. 17. eadem ſeſſione ſtatuit in hunc modum: *Liberitati profeſſionis Virginum Deo dicandarum proſiciens ſanctæ Synodus, ſtatuit, atq; decernit, vt ſi puella, que habitum regularem ſuſcipere voluerit, maior duodecim annis ſit: non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa, vel alia profeſſionem emittat, quam explorauerit Episcopus, vel eo abſente, vel impedito, eius Vicarius, aut aliqui eorum ſumptibus ab eis deputati, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an ſeducita ſit, an ſciat, quid agat. Et ſi voluntas eius pia, ac libera cognita fuerit, habueritq; conditiones requiſitas iuxta Monasterij illius, & ordinis Regularum, nec non Monasterium fuerit idoneum; liberè ei proſiteri liceat, cuius profeſſionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur Preſeſſa Monasterio eum ante menſem certiorē facere, quod ſi Preſeſſa certiorē Episcopus non fecerit; quādiu Episcopo videbitur, ab officio ſuſpenſa ſit. Haec ſunt Concilium.**

**QVAERES,** quid ſi abſq; vllō pacto cuiſpiam munuſcula tribuas, vt eius beneuolentia, & voluntate conciliata ad Religioſæ vitæ genus eligendum, & ſectandum moueas, & ſelectas, allicias, & attrahas? **Reſpondeo** id fieri, ſine vllō peccato, vt expreſſè docet S. Thom. 2. 2. q. 100. ar. 3. ad 4. quemadmodū etiam fas nobis eſt Ethnicos ad fidem, & Religionem Chriſti traducere muneribus, ac donis gratuito, & liberaliter propoſitis, oblatiſ, & datis, vt ait Silu. verbo. *tudem. q. 6.* Pari

ratione ius nobis eſt adoleſcentes egenos alere, vt deinde Religionem ſuſcipiant; ſic etiā aliquos admittere, vt ad tempus in ipſo Religioſorum domicilio gratis inſeruiant, quò ſic poſtea in eorū familiam, & ſodalitatem coopentur. Verū in his omnibus oportet pactum abeſſe, ne ſcilicet aliquid promittatur, vel detur pro ingreſſu in Religionem. c. *quam pio. 1. q. 2.* S. Tho. 2. 2. q. 100. ar. 3. ad 4. alioqui enim totus in Religionem ingreſſus ſimonix labe foedabitur. Sed illud minimè diſſimulandum eſt aliquos interdū l. b. j. & decipi, cum plus quam par ſit, paſſim adoleſcentulos ad Religionem capendam inducunt, ſolicitāt, & vrgent aſſiduè, ac id faciunt magno ſtudio, ac tandē ſuadent, vt ſimplex Religionis votū faciāt. Alij contra à Religione deterrent, auocant, abducunt, & prohibent, multis, & malis artibus impediūt, & remorātur, plus æquo quos poſſunt, quorum vtrumq; eſt in vicio, & quod reprehendi iure poſſit, ac debeat.

**Tertio Queritur,** An liceat alicui ſeruum ad Religionem admittere? **Reſpondeo,** in c. *ſi quis incognitus. 17. q. 2.* ſic haberi: *ſi quis incognitus Monasteriū ingredi voluerit, ante triennium Monachi habitus non præſtetur. Et intra tres annos, aut ſeruus, aut liber, vel colonus queratur à domino ſuo, reddatur ei, cum omnibus, que attulit, fide tamen accepta de impunitate. Si autē intra triennium non fuerit reſquiſitus, poſtea queri non poteſt, niſi ſit, tam longè, vt inueniri non poſſit. Hęc ibi. Nequit igitur ſeruus Religionem proſiteri, aut ingredi, quoniā ſui iuris non eſt: & verè furtum committit, eo quod Domini poteſtatem, & ditionem ſubterfugiat: quòd ſi profiteatur, Domino eum repetenti, reddi debet cum omnibus, que ad Monasteriū attulit. Et hoc locum habet in ſeruis, que mancipia dicuntur, & in ijs, etiam, quos leges, Canones, & iura Colonos, Originarios, Aſcriptitios ſue ſeruos appellant; qui quoniā fundo, vel agro ſunt aſcripti, inde inuito Domino auelli nequeunt.*

**QVAERES,** quo pacto in prædiſto c. ſancitum ſit poſſe à Domino intra triennium repeti, poſtea verò minimè. Nam huiusmodi ſeruus operas, ac labores, induſtriamq; ſuam, & artem, ac ſe ipſum Domino ſubtrahit, ergo Monasterium triennium, imò longiſſimo etiam tempore rem furciuā, hoc eſt, ſeruum, vſu capere nequit. Nam l. i. c. de ſeruis fugitiuis, ſpatio etiam longi temporis ſeruus fugitiuus minimè vſu capitur. **Reſpondeo,** in gratiā, & bonum Religionis conſtitui, ne elapſu triennij ius habeat repetendi ſeruum bona fide receptū, cum intra triennium repetere cōmodè potuerit: At verò, vt Gloſſa annotauit, licet poſt exactum triennium non ſit ſeruus Domino reddendus, iuſta tamen compenſatio fieri debet, ne Dominus quid detrimenti in rebus ſuis patiat. Si percun- cteris, vndenam illud triennium ſit inchoandū? Aiunt plerique quos citat, & ſequitur Silu. *Religio. 2. q. 3.* Ab eo tempore, quo Dominus reſcierit, eſſe ſeruum in Religionem admiſſum. Sed verius eſt, quod Gloſſa docet, à tempore probationis inceptæ. Si denuo roges, an ſi talis ſeruus Religionem profeſſus Domino repetenti reddatur, voto caſticitatis teneatur? **Reſpondeo,** teneri, quia licet nulla fuerit profeſſio, ratum tamen, & firmū Caſtimonix votum fuit, quo Deo ſe deuinxit: eo enim potuit ſe ſimpliciter Deo obligare, tametſi



nullo se vinculo professionis obstrinxerit: vt in alio simili dicitur de viro, qui inficia vxore Religionis professionem emisit, in c. quidam, de conuers. coniug.

Quartò Queritur, An qui se alteri obligauit, possit ad Religionem liberè transire? Hostiensis respondet, quem citat Silu. Religio. 2. q. 5. si per alium prestare promissum potest, id prestat: sin secus, Religionem suscipiat. Sed si qui iurando cuiuspiam promissit se aliquid sponderit Rempublicam se administraturum triennium, aut docturum alios in perpetuum, aut in hospitali domo perpetuò inseruiturum ægrotis? Respondeo, cum Hostiensis, Innocentio, Gofredo, & Abbate, quos citat Siluest. verbo, Religio. 2. q. 5. eã non esse perurum: quoniã vt suo loco diximus, iurandũ non violat, qui il lud in melius cõmutat c. Peruenit. 2. de iur. iur. sed Hostien. addit, tutius esse consiliũ, vt is, qui iurauit, impleat quod iurauit, & iurãdo promissit: quod probat ex c. debitor, de iur. iur. vbi, qui iurauit se vsuras soluturum, cogitur vsuras soluere, & ex c. Commissum. de spons. vbi iuueni, qui iurauerat se puellã in vxorem ducturum, datur cõsiliũ, vt prius puellã in matrimonium ducat, & postea, ad Religionem se conferat. At Siluester, hoc consiliũ Hostiensis merito improbat, vt nos Superiori libro consutauimus.

Quintò Queritur, An qui æs alienum contra iurē possit in Monasterium admitti? Dũ sunt opiniones in speciem, sibi omninò contrariæ, quamuis meo quidem iudicio, reuera non sint. Nam S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3. docet ei sufficere, si suis bonis cedat, eo quod liberi hominis persona non sit creditori obligata, sed res eius, & bona. Vnde Monasterium creditori satisfacere debet ex his, quæ Monachus secum detulit, aut ex his, quæ post eius ingressum acquisiuit donatio ne, vel testamento, vt Innocentius, & Hostiensis docuerunt, quos citat Silu. Religio. 2. q. 4. Secunda opinio negat æris, & pecuniæ alienæ debitorem iure in Monasterium recipi, etiam si suis cedat bonis; at Religionis, inquit, professio rata, & firma censetur. Siquidem Religionis professio cum iure naturali pugnare nõ debet: at iustitiæ legibus debitor eã creditori obligatus, ergo eas violare non debet, vt Religionem profiteatur. Nec enim, teste Apostolo, sunt faciendã mala, vt veniant bona. Deinde, præceptũ omittendũ non est propter opus consilij, sed Religionem suscipere, est opus consilij, alienum autem restituere est præceptum. Item, fas non est alienũ surripere, vt habeas, quo possis te ad Monasterium longinquum conferre: ergo nõ licet tibi alienum retinere, vt ad Monasterium te recipias. Præterea, nefas est feruũ sine Domini consensu, & similiter viri matrimonij vinculo adstrictis, sine vxoris voluntate, & filijs sine facultate parentum grauius indigentium Religionem profiteri. Hanc sententiam tuentur Mai. 4. d. 38. q. 17. & Medi. de reb. restitue. quest. 3. in ostiana causa. & in supplemento Gabrielis 4. d. 38. q. 1. art. 3. dub. 2. dicitur, eam fuisse opinionem Gersonis, & totius Academiæ Parisiensis, cui etiã subscripsit Nauarrus in Commen. 1. de regularib. nu. 8. eo argumento perductus, quod qui est ratiocinijs publicis alligatus, prius debet rationẽ reddere,

quã se ad Monasterium transferat, vt colligitur ex c. legem, dist. 35. c. 1. De obligatis ad ratiociniã, & ex Doctoribus ibidem; & ex l. Officiales, C. De Episcopis, & Clericis. Deinde, quod non omnis cessio bonorum liberat eum, qui cedit bonis suis, ab obligatione soluendi, sed solummodo ea, qua quis cedit suis bonis ex inopia, quæ solet accidere ob infelicem, & inopinatum rerum euentum.

In hac quæstione quidam affirmant, nihil esse quod cogat nos à S. Thomæ doctrina recedere, præsertim cum eam sectentur Summistæ, Ange. Religiosus. nu. 6. Silu. Religio. 2. q. 4. Astens. in sum. lib. 6. tit. 19. q. 6. Rosel. Religio. 2. nu. 5. Armil. Religio. nu. 5. Tabien. Religio. nu. 12. & è Theologis Palu. 4. d. 38. q. 4. art. 3. conclus. 3. Cai. 2. 2. q. 189. ar. 6. ad 3. & ex Canonici iuris Doctoribus Innocentius Rainerius, Hostiensis, & alij, quos citat Angelus, & Siluester. Et ratio S. Thomæ, eandem sententiam concludit, quæ locum habet in eo, cui nulla spes est satisfaciendi creditori. intra paucos annos; si se ad Religionem non conferat: nõ in eo, qui intra aliquot annos debitum soluere potest, si in seculo manserit. Nam si alienæ pecuniæ debitor soluendo non est, liberatur debito; si bonis, quæ habet, cedat, cum tantummodo res eius sint creditori obligatæ. Nec tamen extra Monasterium permanere debet, vt si fortè aliquando creditori satisfacere possit: tum quia fieri potest, vt sit voto adstrictus Religionem suscipiendi: ad certum tempus: tum quia in probabile fortassis peccati periculum incurret, si extra Monasteriũ diutius demoretur. Postremò, quia sermo est de eo, qui spẽ non habet satisfaciendi creditori. Obijciens, cur igitur ab ijs, qui perunt in domicilium Religiosorum cooptari, quæri solet, num ære alieno grauentur? Respondent aliqui id merito quæri, Primò, vt maturè de liberetur, quid illis magis expediat. Deinde, ne faciliè creditores negligi videantur. Mihi tamen, vt iam dixi, S. Thom. sententia non videtur generaliter accipiendã, sed tantũ de eo debitore, qui cederet bonis, quæ habet, & id præstat, ac reddit, quod potest, & tamen in totum nequit creditori satisfacere, nec vllam probabilem spem habet acquirendi aliquid, vnde possit integrum debitum soluere. Exemplum est. Titius Caio debet quingentos aureos, soluit centum, quos habet, nec potest reliquos, nec vllã probabilem spem subest aliquid amplius in posterum habendi, tura conscientia potest Religionem capefere, quoniam etiam si extra Religionem maneat, soluendo non erit, & impossibilium nulla est obligatio. Et in l. Nam is, ff. de dolo malo, dicitur: Is nullam videtur actionem habere, cui propter inopiam aduersarij actio est inanis. At verò si Titius soluit centum, quibus cedit, probabilem spem habet intra paucos annos aliquid comparandi, vnde in totum creditori satisfaciat, iure nequit ad Religionem transire, sed ingressum ad tempus differre debet: Et idem iuris est in eo, qui cum artem calleat, vel munere fungatur, vel industria, & ingenio valeat, ad paucos annos, ea possit sibi sibi comparare, quibus debita soluat: Et de his debitoribus, vt existimo, loquuntur Gerson, Medina, Maior, & Nauarrus, nec id S. Thomas negabit. Idem videtur dicendum de debitore, qui votum Religionis ad certum tempus perfoluendũ susce-

pit, qui



pit, qui si ad paucos annos poterit creditori satisfacere in totum, differre debet ingressum: non enim licet alicui, voto se obligare cum damno creditoris, nec vinculum posterius antecedente obligationem extinguit, aut tollit.

Quæstio item est, an debitor Religionem ingressus laborare cogatur, vt labore manuum suarum aliquid acquirat, vnde debita contracta soluat. Fingamus nulla alia superesse bona, nec Monasterium velle ex suis bonis creditori satisfacere, quippe quod ex bonis Monachi comparauit. Dux quoque sunt sententiæ sibi inuicem pugnantes, atque contrariæ; quarum vna affirmat, eum ad laborandum in Monasterio adstringi, vt si artem calleat, quam facillè exerceat: Imò si intra Monasterium nihil possit acquirere, extra illud verò facillè, & commodè queat, id quoque facere debere. Nauarrus tamen in *Commen. 1. de regularib. num. 8. & sequen.* solum docet generatim intra Monasterium laborare eum oportere. Secunda opinio docet nequaquam esse cogendum laborare, postquam fuerit Religionem professus. Ita Paludanus, Astenfis, Angelus, Rosella, Siluester, Armilla *locis in Superiori questione citatis*, quæ quibusdam probabili or videtur esse sententia. Nam cum Religionem professus cesserit suis bonis, restituendi præcepto, ac lege solutus est. Nec idem iuris est in seruo, vel homine nuptijs alligato, vel ratiocinijs adstricto. Nā persona serui est Domino obligata: Similiter vir corporis sui potestatem vxori tradidit: etiam, qui in ratiocinia iurauit, suam personam alteri obstrinxit, & rationem reddere compellitur: & idcirco nullus horum iure Religionem suscipit. At verò debitor æris alieni sese quidem creditori deuinxit, sed ei satisfacere censetur, si suis bonis cedat. Cæterum existimo iuxta ea, quæ hæcenus dixi, distingui oportere: aut enim quis in Religionem admittitur, cum extra eam industria, labore, vel arte valeret, qua posset debitum creditori in integrum soluere. Et hic debet etiam Religionem professus ita laborare vt creditori satisfaciat: quoniam prior obligatio extincta non est, & adhuc potest Monachus effectus debitum soluere. Ergo necesse est, vt soluat: & Abbas sibi imputet, qui talem debitorem admittit. Aut quis extra Religionem manens, soluendo nulla ratione est, & hic in Religionem ingressus nihil facere debet, vt creditori debitum soluat: non enim peioris conditionis est, eo quòd fuerit in Religionem receptus.

Sextò Quæritur, An coniux post matrimonium iure queat ad Religionem transire. Respondet, ex Abbate, & Calderino in *cap. 1. de conuers. coniug. quos sequuntur Angel. matrimonium. 4. num. 11. Rosel. impedimentum. 11. Silu. diuortium. q. 17. Tabien. matrimonium. 1. q. 3. Armil. diuortium. num. 11.* iure posse post matrimonium ratum, quod nondum est consummatum, & posse id facere inuita etiam vxore. *c. verum, & c. ex publico. de conuers. coniug.* Itē, potest coniux post diuortium legitima auctoritate iudicis factum, quia alter coniux adulterium commisit, se ad Religionem conferre etiam vxore contradicente, & etiam si fuerit matrimonium consummatum. *cap. Agathosa. 27. q. 2.* Tertio ex mutuo consensu coniuges etiam consummato matrimonio possunt Religionem capeffere, &

profiteri. *ex cap. cum sis, cap. vxoratus, cap. ad Apostolicam, de coning.* Quintò si vir post matrimonium consummatum Religionem profiteatur inuita vxore, vxor eum iure potest repetere, *cap. quidam, de conuers. coniug.* idem iuris est, si vir profiteatur religionem ignorante vxore, *cap. placet, de conuers. coniug.* idem quoque si profiteatur consentiente quidem vxore, sed per metum, vel dolum, *ex c. accedens, & cap. veniens, de conuer. coniug.* & in his casibus vir restitutus vxori repetenti, reddere debitum cōiugale compellitur, quia vxor petit, quod sibi iure debetur, petere verò ipse debitum iure non potest: quia potuit vir hoc suo iure cedere, & potuit ex hac parte castitatem vouere, idem iuris est, si vxor sciuit quidē ingressum viri in Religionem, sed nec consentit, nec repugnauit, solum dissimulauit. *cap. consilium de conuer. coniug.*

SI QVÆRAS, quid dicendum in hoc casu, si vxor dum vixit, virum non repetiuit, & mortua est, an vir in religione perseuerare cogatur. Respondet, Calderi. Abbas, Angel. Silu. Rosel. Tabien. Armil. *locis supra citatis* debere in Religionem permanere: quia causa, quæ ingressum eius in Religionem impediēbat, cessauit. Si dicas, professio Religionis inuita vxore, irrita fuit, ergo in Religionem vir manere, non cogitur. Respondet, professionem ratam fuisse, quia vxor eam reuocare potuit, dum vixit, videlicet potuit virum repetere, & quia professionem, non reuocauit, nec virum repetiuit, cum posset, eo ipso consensisse videtur, vt vir in Religionem permaneret. Si iterū roges, quid iuris sit, quando vxor sua sponte consensit, sed continentia votum non fecit, nec religionem ipsa suscepit. Dux sunt opiniones; nam Abbas antiquus, & Inno. in *c. quidam de conuer. coniug.* sentiunt, si vxor in sæculo manens, iuuenis fuerit, ius habet virum repetendi: at Calderi. & Panor. censent solum officio iudicis virum posse, & debere vxori restitui: quoniam eo ipso, quod vxor consensit sponte, suo iure cessit, & ideo amplius actionem non habet, aut ius repetendi virum: Iudex tamen officio suo potest, ac debet virū restituere vxori, ne vxor, cum iuuenis sit, & in sæculo maneat, adulteria cōmittat. Hæc opinio est probabilior, quam sequuntur Angel. Rosel. Silu. & Tabien. *locis citatis.* Item, in hoc casu vir Religionem professus, vt ait Panormitanus, verè factus est religiosus, quia consensu vxoris professionem emisit: & ideo vxore mortua ad Monasterium redire iure compellitur, nec potest aliam vxorem ducere, quòd si duxerit, matrimonium est irritum. SI QVÆRAS, quid dicendum, quando vxor consensit quidem, sed in sæculo mansit, & fecit continentia votum. Respondet, si est senex, vt pote sexagenaria, iure potest in sæculo manere, quia nullum est incontinentia periculum. *c. cum sis, ca. vxoratus. c. ad Apostolicam, de conuer. coniug.* si iuuenis sit, aut de incontinentia suspecta, dubia quæstionis est, an cogatur religionem profiteri, an potius sufficiat votum continentia, quod fecit. Inno. sentit non cogi religionem profiteri, sed esse in Monasterio includendam, ne periculum incontinentia incurrat: neque enim vltra simplex incontinentia votum cogitur quis religionem profiteri, *c. integritas. 32. q. 1.* Hostiensis censet, non esse in Monasterium detrudendam, quia cum ijs, quæ sunt



Religionem professā, non bene conuenit ea, quæ professā non est; & ideo ait eam debere profiteri, quia, eo ipso, quod uouit continentiam, cogitur Religionem profiteri, ne si in sæculo maneat, sit periculo incontinentiæ obiecta. *Calderinus* distinguit, aut promittit, inquit, ingredi in Religionem, & debet Religionem profiteri. *c. Agathosa. 27. q. 2.* aut solum continentiam uouit, & tunc si est iuris consciā, cōpellitur Religionem profiteri. *c. qui uxorem. 33. q. 5.* quod si fuerit iuris ignara, nō cogitur Religionem profiteri: idem ait *Abbas*. *Præterea si roges*, quid dicendum, quando vir inuita uxore Religionem est professus, & est restitutus uxori; an mortua uxore ad Religionē redire iure cogatur. *Respondeo*, cū Abbate, & alijs, in *locis supra citatis præsertim in c. quidam, de conuers. coniug.* iure non cogi, quia professio vim, & locū non habuit: aliam verò uxorem ducere nō potest, quia saltē, ut potuit, se voto castitatis obstrinxit, at si matrimonium contrahat, ualeat, quia Religiosus factus non est, licet in contrahendo peccet, cum fuerit simplici voto castitatis deuinctus: unde Abbati in hac parte non placet, quod dixit *Antonius Butrius*, uidelicet matrimonium nō ualere, quia licet, inquit *Antonius*, uotum solemne nō fuit, at quia fuit uotum certæ Religionis approbatæ, eo ipso pro solemni habetur: uerius est id, quod dixi ex sententia *Abbatis*: nā professio inuita uxore non ualeat, unde solemne uotum nō fuit, quoniam nec expressa, nec tacita professio in Religione approbata fuit. *Postremò si roges*, an propter adulterium occultum uxoris liceat viro eam dimittere, & se ad Religionem conferre. *Respondeo*, cum *Glossa in c. Agathosa. 27. q. 2. in uerbo fornicationis*: minime, nisi diuortio facto per legitimam iudicis Ecclesiastici sententiam: alioqui enim ius habet uxor petēdi, ut vir ipsi restitatur, & cogetur vir ad uxore redire, nisi statim testimonia legitima adulterij ab uxore patrati proferat. *c. literas, de restit. spoliatorum.* Sed quid iuris si adulterium uxoris publicum fuerit? *Respondeo* etiam tunc expectandam esse iudicis sententiam, *c. Porro, de diuortijs, & ibi Ioan. Andreas, Hostien. & Abbas*, quoniam dimittere uxorem ob adulterium illius est pœna, ac proinde infligi iure non potest nisi legitima iudicis sententia. *Obijcies* id, quod habetur in *cap. significatis, de diuortijs*, ubi legitur, si notoriū est mulierem adulteriū commisisse, ad eam recipiendā uir cogi non debet. *Respondeo*, cum *Archid. in c. Agathosa. 27. q. 2.* in eo capite sermonē esse de uxore, quæ temere fuerat à viro dimissa, & ipsa postea publicè adulterium admiserat, & petebat, ut ei uir restitueretur, siquidem fuerat temerè reiecta. Quando igitur uxor dimissa à viro, & suo iure spoliata quamuis temerè, petit, ut uir ei restitatur, nō auditur, nec ipsi uir restituitur, si postquam temerè à viro dimissa, publicum adulteriū commisit. *Quæres*, nunquid uxor adultera post diuortium factum legitima sententia iudicis potest se ad Religionem conferre inuito viro? *Respondet Glossa in c. Agathosa. 27. q. 2.* posse, quia factò diuortio auctoritate Ecclesiæ uterque suo iure cessit, & probat argumento sumpto ex *c. quam periculosum. 7. q. 1.*

Septimò Quæritur, An qui sponsalia contraxit iure in Monasterium possit admitti. *Innocen-*

tius, *Hostiensis*, *Ioan. Andreas*, & *Abbas* uidentur asserere id fieri iure non posse, & hoc ideo, quia censent sponsalia, ante contracta per ingressum in Monasterium, non dirimi, præsertim si fuerint iureiurando firmata. *Sotus* affirmat id iure fieri, & sponsalia per uotum Castitatis simplex, aut unius sponsi in Monasterium ingressum dissoluit, ita ut eo ipso, alteri sponso liceat ad alias nuptias trāsire: & affirmat sponsalia dirimi etiā iurifurandi vinculo confirmata. Et quamuis *Cordubensis* testetur, hanc *Soti* sententiam esse minus ueram, & tutam; eam tamen ante *Sotum* tenuere *Ricardus, Aléxis, Angelus, & Maior*: quam supra, & nos quoque secuti sumus ex parte. De hac tota controuersia *libro Superiori* tractaui.

Nec obstat, quod obijcit *Cordubensis*: sponsalia iniquiens, eadem ratione soluerentur per uotum quodlibet melioris boni, quale est uotum orationis, contemplationis, ieiunij ad uitam duratur: hæc enim uota, & similia, respondebit *Sotus*, non pugnare cum matrimonio, ut pugnat uotum Castitatis. *Quæres*, cur sit in more positum, ut qui petunt in Religionem ingressum, interrogentur, num foemina ulli promiserint se eam ducturos in uxorem? *Respondeo*, iure optimo de hoc interrogari, ut maturè expendatur, quid magis expedit.

Octauò Quæritur, An tuta conscientia filius, cuius parentes grauitè indigent, ad Monasticum institutum, & uitæ se conferat? *Respondet S. Thomas 2. 2. q. 189. artic. 6.* cuius sententia est communi consensu recepta, id tuta conscientia non fieri, quia iure naturali debent filij parentibus necessaria uitæ alimenta præstare: Nec huic iuri quicquam ingressus in Monasterium derogare potest. Idem iuris est in patre, si filium habeat graui egestate laborantem: debet enim prius filij indigentiae commode subuenire: nisi uterque talis sit, ut in Monasterium mereatur ingressum. *Rursus Quæres*; an idem iuris sit, si fratres, aut uxoribus graui inopia premantur? *Respondeo*, non esse idem iuris in illis, quod est in parentibus, & filiis. Filij enim parentibus, & contra parentes filijs iure gentium, & naturali, alimenta, & uitæ subsidia debent, fratres uerò fratribus non item. At uerò de sororibus uidentū est, an puella sint, & quæ, si à fratre dimitterentur, in impudicitiae crimen inciderēt, aut in illius periculū incurrerēt, præsertim cum teneræ adhuc ætatis sunt: tunc enim charitas suadet, ut earum pudicitiae consulari. Quare aut fidæ alicui, & honestæ personæ committi, & cōmendari debent, aut in Monasterium ingressus ad tempus differendus uidetur.

Nonò Quæritur, An Episcopus, aut alius Clericus in minori dignitate constitutus, An item presbyter curæ animarū præfectus, An impuberes ite filij iure in Monasteria admittantur? *Hæc quæstiones singulas libro superiori diuimus.*

## Caput II.

### De Nouitiorum probatione.

Primò Quæritur, quomplex sit Religiosorum habitus, & quifnam sit Nouitiorum proprius? *Annōtandum* est, iure Canonico Religiosorum

habi-



habitus dici vestimenti genus, quo vtuntur Religiosi, qui triplex esse solet, vt docet Glossa cōmuni consensu approbata c. 1. 27. q. 1. in verbo, apparuerunt. Archid. Ioan. And. in c. consuetudinem, de regularib. in 6. nimirum, Habitus probationis, Conuersionis, & Professionis. Explicemus horum singulos. Habitus probationis datur Nouitijs, de quo in cap. ex transmissis, de renuncia. & cap. Statuimus, de regulari. Habitu conuersionis vtuntur ij, qui dicuntur Conuersi, de quo in cap. consuluit, qui Cleri. vel vouen. & in cap. super eo, de regulari. Habitus Professionis est Professorum proprius, qui secundum iura antiqua dicebatur, Habitus Religionis: nam olim in Monasteria solebat admitti Nouitij ad probationem, & toto probationis tempore pristino vulgari habitu vtentur: ideo iure antiquo Canonico, susceptio habitus Monastici, intelligebatur professio Religionis, quia habitus Religionis nō concedebatur nisi Professis. At verò tēporis processu, more, & instituto Religiosorum introduci cōcepit, vt Nouitij probationis tempore pristina, ac vulgarem vestem deponerent, induti habitum Religionis in regula constitutum, ac ita cōcepit habitus Religionis distingui in habitum Probationis, & Professionis: qui aliquando est omnino diuersus atque dissimilis, aliquando verò distinctus non est. Ex quo etiam factum est, vt locū habeat quod in ipso iure Canonico dicitur: *Monachum non facit habitus, sed professio, c. porrellum. c. ex parte, de Regularib. c. consuluit. Qui clerici, vel vouentes: nam iuxta priorem illum veterem morem quem dixi, Monachum faciebat habitus susceptio, quia non dabatur nisi professis, & hoc modo iura quādam conciliantur, c. enim, Legem Dist. 53. dicitur: Si qui ex militaribus viris annumerari in Monasterijs festinam, non sunt temere suscipiendi, nisi eorum vita subtiliter inquisita fuerit, & iuxta normā regularem in suo habitu per triennium probati. Tunc Monasticum habitum Deo auctore suscipiant. Et in c. Multos, Dist. 55. dicitur: si quis ex viris Ecclesiasticis, vel secularibus militibus seruicium ad Dei seruicium cōuertit desiderat, probabitur prius in laicali habitu consuetus. Si autē, & in monachali habitu secundum Patrum regulas inculpatē vixerit, post praefixa à sacris Canonibus tēpora, ad quodlibet Ecclesiasticum officium prouebatur. Rursus. 17. q. 2. c. 3. Si quis incognitus Monasterium ingredi voluerit, ante triennium Monachi habitus non praestetur. Vnde in c. Super eo, de Regularib. habetur: Super eo, quod quāsitum fuit de Clericis, qui Religionis habitum susceperunt, & ante professionem ad priorem statum sunt reuersi, Respondemus: Quod si auferentiam Religionis, ad quam migrasse volunt, seruare noluerint, ad mitiorem Religionem cogantur transire, ne contra votum, quod Domino fecerunt, venire probentur. Verū si ante susceptum huiusmodi habitum in Probatione positi recedere voluerint, secundum Regulam B. Benedicti, non videntur prohibendi ad priorem statum redire, vt in eadem veste, in qua veniunt, reuertantur. Hæc ibi.*

Secundo Quæritur, An habitus Nouitiōrū ab habitu Professorū debeat esse distinctus? Respondeo, cum Abb. in c. Ex parte, de Regulari. & Gloss. in Clem. eos. De Regulari. aliquando distingui, & hoc dupliciter: Aut enim differentia, & dissimilitudo manifeste patet, aut latet occulte: patet quando in vno ex tribus est dissimilitudo, nimirum, vel in Colore, vel Scissura, vel Forma, siue figura. Clem. eos qui, De Regularib. Colore, vt si Professorū

habitus sit albus, Nouitiōrum niger: Scissura, vt in familia Franciscana nomine Minorum dictacius Nouitij tunicam deferunt sine capucio, vt loquitur Regula S. Francisci, Professis verò cū capucio: Forma, vel figura, vt si Nouitij gestent breuiorem habitum, Professis longiorem, Aut si Nouitiōrū habitus in parte aliqua habeat Crucis signum, funiculum, aut pannū alligatū, aut appensum. Aliquando verò differentia habitus latet, aut quia Professorum habitus consecrari solet certis quibusdam precationum verbis, aut formulis, Tyronum non item. Aut quia habitus professis datur in Capitulo, vt dicitur, Religiosorū, vel ante Altare maximum in templo, Nouitijs verò in alio loco: Aut quia Professis habitum dat Abbas, Nouitijs, alius, nimirum Prior, aut Vicarius, aut Præfectus siue Magister Nouitiōrum. Aliquādo verò habitus Nouitiōrum minime ab habitu Professorum distinguitur: & hoc duobus modis contingit, nimirum, Aut quia eodem habitu vtuntur Monachi, Conuersi, Oblati, & cæteri, tū Clerici, tum Laici vna cum ipsis Monachis communem vitam agētes, quales esse solent Clerici, qui vocantur Monachorum Capellani, & Laici administri, siue famuli Monachis inseruientes: Aut quia saltem tyrones, & veterani, hoc est, Nouitij, & Professis, eundem habitum gestant.

Tertio Quæritur, An solus habitus Religionis susceptus Monachum efficiat? quod est quærare, An per solū habitum Religionis susceptū, quis Professus, & Veteranus censetur? Respondeo, Canones, & iura in hoc sibi in speciem aduersari. Nam cap. Porrellum, & c. Ex parte, De Regulari, & c. Consuluit, Qui Clerici, vel vouentes aperte dicitur, Habitus non facit Monachum, sed Regularis professio. Contrarium tamen ex c. Vidua, c. Super eo, De Regularib. & c. Quod interrogasti, Dist. 27. q. 1. & c. Quem progenitores 20. q. 1. manifeste colligitur, nempe sola habitus susceptione Monachum fieri.

Glossa hosce Canones, & iura cōciliat in hūc modū: quod scilicet solus habitus susceptus sine professione Monastica expressa, vel tacita Monachum non faciat: at verò si ad mutationem, & susceptionem vestitus tacita iuris professio accedat, Monachū facit iure antiquo. Vt si quis sponte indutus veste professorum suscepta legitime, hoc est, data ab eo cuius auctoritate potest quis in Congregationem admitti, faciat opus Professis tantum consuetudine, vel iure conueniens, c. Vidua, De Regularib. Aut si quis sponte gestans habitū Professorū proprium ritē, & legitime susceptū, hoc est, datum auctoritate eius, qui ius habet admittendi, in eo triduum perseueret, c. Ad nostram, De Regularib. Aut si quis per annum integrum sponte deferat habitum Nouitijs, & Professis communem, datum ab eo, qui potest in Monachorum, seu Religiosorum numerum recipere, c. ex parte, De Regularib.

Quarto Quæritur, quis possit ad Probationem tanquā Nouitijs admitti? Respondeo, quēlibet rationis capacem, dummodo pubertatis annos excesserit, & expleto Monasticæ vitæ tyrocinio, sit aptus ad professionē emittendam: ante id enim tēporis Nouitijs esse nequit, quia experiri non potest, superant necne sibi vires ad Monastici instituti onera perferenda. In masculis post decimum



quartum annum exactū, & in sceminis post duodecimum, iure communi Canonico incipit ætas, in qua quis ad probationem admittitur, cap. Si in qualibet, & c. Puella, 20. q. 2. & c. Ad nostram. e. cum virum, c. Postulasti, c. Significatum, De Regularib. c. 1. & c. Nō solum, de Regularib. in 6. in quibus ætas ante eos annos dicitur esse impuberum, aut pueritia, aut minor, aut non adulta.

**Quintò** Queritur, An furiosus ad probationē iure admittatur? Respondeo ex communi omnium sententia, minimè, quia rationis compos non est, & proinde experiri, & explorare non potest Monasticam disciplinā. Eadem ratione furiosus nequit matrimonium contrahere, testamentū condere, nec aliquid donare, etiā pietatis causa. Sed dubiæ quæstionis est, an si mētis compos effectus ratam expressè, vel tacitè professionem habeat, rati habitio valeat, vt si non contradicat, Hostiensis in cap. sicut tenor, de Regularib. censuit, valere, Abbas verò in eo capite eius sententiam refutauit, & meritò. Tum quia in c. 1. De Regularib. in sexto aperte habetur, si puer ante exactos annos pubertatis, annum in probatione steterit, & postea ratum habeat, Monachum non fieri: & idem iuris videtur esse in furioso: Tum quia in c. Sicut tenor, De Regularib. dicitur, nihil valere habitum à furioso susceptum, nisi postquam suæ mentis factus est compos, spontanea voluntate professionē fecerit Monachalem, ita etiam docet Siluester Religio. 5. q. 2. Abbatem sequutus: sic quoq; Angelus, & Rosella, vt citat ibi Siluester.

**Sextò** queritur, quanto tempore Nouitius probari debeat? Respondeo, iure communi, esse vnum integrum annū probationi destinatum, vt habetur in cap. Ad Apostolicam De Regularib. & in c. Gonsaldu 17. quæst. 2. vbi dicitur: Regula sancti Benedicti, & Gregorij canonica institutio, prescribit, ne Monachus ante vnius anni probationem admittatur. Annotandum est, in Regula B. Benedicti, c. 58. cōtineri: Nouiter veniens quis ad conuersionem, nō est facilis tribuatur ingressus, sed sicut ait Apostolus, probate spiritus, si ex Deo sunt. Ergo si veniens per seuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias, & difficultatē, ingressus post quatuor, aut quinque dies visus fuerit patienter ferre, & in petitione sua persistere, concedatur ei ingressus, & sit in cella hospitem paucis diebus: postea sit in cella Nouitiorum, vbi meditetur, manducet, & dormiat. Prædicantur ei omnia dura, & aspera. Et si promiserit per seuerantiam, post duorum mensium circulum, legatur ei Regula per ordinem. Si adhuc steterit, redatur ad supradictam Nouitiorū cellam, & iterū probetur in omni patientia, & post sex menses relegatur ei Regula. Et si habita secū deliberatione promiserit se omnia seruaturum, tūc ad Congregationem admittatur. Hæc ferè B. Benedictus, S. Franciscus in Regula cap. 2. præscribit etiam vñ integrum probationis annum. Vnde cum Monachorum ordines per Occidentē S. Benedicti Regulam professi fuerint, factum est, vt vsu, & more communi vnus sit probationis annus, quo Nouitiorum vita, & mores explorentur, iantequam in Religiosorum sodalitate recipiantur. At verò Regula Pachomij, quam ab Angelo accepisse, ex Palladio, & alijs refert Nicepho. lib. 9. bistor. Eccles. cap. 14. præscribat triennium probationis.

Triennium, inquit, primis annis, mutato paululum habitu, duriores perferant labores: at que ita tandem riuibus, & Regulis instituti, aliorum Congregationi inferantur. Gregorius item Epist. 23. lib. 8. vt habetur 19. quæst. 3. cap. Monasteriis, præcipit in hunc modum: Monasteriis omnibus fraternitas vestra districte interdicit, vt eos, quis ad conuersionem susceperint, priusquā biennium in conuersione cōpleuerint, nullo modo audeant consarare: sed hoc spatio vita, moribus, eorum sollicitè comprobetur, ne quis, aut non sit cōuentus eo, quod voluit, aut ratum non habeat, quod elegerit. Et idem Gregorius, vt refertur in c. Legem d. 53. decernit: Si qui ex militariibus viris annumerari in Monasteriis festinant, non sunt temerè suscipiendi, nisi vitæ eorum subtiliter inquisita fuerit, & per triennium probati. Ex quibus clarè perspicitur, olim tempus probationis fuisse vnum annū iuxta Benedicti Regulā; triennium iuxta Regulā Pachomij est, ab Angelo: biennium, & aliquando triennium iuxta Gregorij Canonica instituta. Vnde Glossa in c. Monasterijs 19. q. 3. & in c. Legem d. 53. & in c. Gonsaldu 17. q. 2. deduxit Probationis tempus esse arbitrarium: quamuis more communi receptum esse vnum annum legamus. Nostra verò Societas biennium integrū Nouitiorum probationi assignauit.

**Septimò** queritur, vnde incipiat annus, & tempus probationis? Respondeo secundum commune ius incipere à tempore habitus Monastici suscepti post annos pubertatis expletos, cap. Ad nostram, & cap. Significatum, De Regularib. præterquam in Insulis, in quibus annus probationis computari debet ab anno decimo octauo. Sic enim habetur in cap. quia in Insulis, De Regularib. quia in Insulis, inquit, dura est Congregatio Monachorum, pueri in eorum Monasterijs ante decimum octauum annum suscipi prohibemus. Quod decretum testatur Abbas locum non habere in Insulis maioribus, eiusmodi sunt Anglia, Sicilia, Cyprus, Creta, Sardinia, Corfica, sed in minoribus duntaxat, quādo Insula est paruus locus mari cinctus. Ioannes Andreas, ait huiusmodi decretum in nulla Insula seruari; ita vt sic Conseruudine abrogatum. Petrus Ancharanus docet standum esse rationi iuris, non autem ipsi Iuri. Et quoniam expressa ratio huius legis Pontificia dicit: Quia in Insulis dura est congregatio Monachorum; ideo, inquit, vbi talis fuerit, siue in Insulis, siue extra eas, annus probationis inchoari debet ab anno decimo octauo: vbi talis non fuerit, siue in Insulis, siue extra, incipit post exactū quartum decimum ætatis annum. Quidam tamen existimant prædictum decretum non intelligi de tempore probationis, sed professionis, ita vt sensus sit, In Insulis, vbi est seuerior, & durior vita Monastica, nemo ad professionē admittatur ante annum decimum octauū completum, licet possit ante ad probationem recipi.

**Octauò** queritur, An annus, aut tempus probationis debeat esse cōtinuum? Dux sunt opinionones, prima aliquorum aientium, sufficere intermissum, & interruptum tempus: vt si Nouitius ad sex menses in probatione steterit, & deinde ad tempus egressus, & postea rediens, intermissum tempus repetat ad alios sex menses, ita sentire videtur Glossa in c. eum, qui, de regul. iuris, in 6. nam videtur Iuri satisfecisse, si quidem per annum quāuis non coherentem, & continuatum in probatione persistit. Secunda opinio censet, ad pro-

bationem,



bationem, annum continuum requiri: quam tueretur Ioannes Lignan teste Siluestro *religio. 5. q. 4.* & quam veriore putat Abbas *in cap. Ad Apostolicam, de regularib.* Et secundum ius commune, hæc est verissima, quoniam iura, quæ certum tempus postulant, intelligi debent de tempore continuo, & Bartholus *in l. interdum, §. quoties, ff. de publi. apertè docet seruum dici veteranum, qui anno continuo seruiuit, Nouitium verò, qui ad annum non continuatum seruiuit, & Ioan. Anc. in c. 1. de elect. in 6. ait, cum iura postulant annum, vel certum aliud tempus, intelligunt continuum. Deinde, integer annus Probationis præscribitur, vt Nouitius integre dura, & aspera Religiosi instituti onera experiatur. Sed inter alia vnū est, vt sine intermissione ea ad annum sustineat: sicut difficilius est, quadraginta dierum continua ieiunia perferre, quam totidem interrupta. Quo fit, vt si Nouitius ad annum gesserit habitum, & omnia Probationis onera perierat, sed extra Monasteriū absq; Superioris consensu, nihil ad Probationē proficit, & valeat. Secus esset, si Superioris iussu, vel nutu extra Monasterium commoraretur. Quare in Concilio Trident. *sess. 25. c. 15. de Regularib.* decretum est, ne professio emitatur ante decimum sextum annū expletum, nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in Probatione steterit, ad professionem admittatur.*

Nondū Queritur, An Nouitius debeat Religionis habitum, & vestem deferre, vt ad professionē iure admitti queat, quod est querere, An habitus Probationis sit necessarius, vt Nouitius professionis sit capax. Abbas *in c. super eo, de Regularib.* sentit, ex vi Regulæ, vel instituti Religionis, vel Iuris non requiri, sed sufficere, si Nouitius proberur, pristinum, & vulgarem vitæ prioris vestitum deferens: consuetudine tamen esse receptū, vt proberur suscepto probationis habitu. Idem cū Abbate sensere Antonius Butrius, & Glossa *in eo capite.* At verò Regula S. Francisci proprium Nouitiorum amictum in Probatione præscribit. Habitus igitur Religionis, ad probationē omnino requiritur: nam in vestitu Religionis deferendo est quædam vitæ austeritas, difficultas, ac labor, qui inter Probationis experimenta numeratur: opus est etiam, vt Nouitius gesserit suæ Religionis vestem, non alterius. Hæc omnia Silu. *Religio. 5. quest. 5. ex Glossa, Abbate, Antonio, & alijs.* Deinde opus est, vt deferat in Monasterio, non extra, hoc est, sub Abbatis imperio, & potestate constitutus: nam etiam si extra Monasterium comoretur, dummodo tamen Abbatis iussu, vel consensu degat, censetur in Monasterio viuere. Hæc enim omnia ad Probationis experimenta pertinent.

Decimò queritur, An Nouitij Regulæ, & instituti legibus teneantur? Respondent Angel. *Nouitius. q. 18. Silu. Religio. 5. q. 6. Tabic. Nouitius. q. 13. Armil. Nouitius, num. 18.* non teneri: quia nondum sunt in Religiosorum contubernium, & sodalium admitti. Sicut Catechumenus Ecclesiæ legibus non adstringitur, & tenetur, donec sit sacro baptismate renatus. Vterque tamen præcepta Ecclesiæ, vel Religionis seruat, tum vt comprobetur vita eius, & mores, tum vt assuescat: mitius tamen cū Nouitij agitur, ne ab incepto Religionis instituto recedat, & ad pristinū ante actę vitæ statū reuer-

tantur. Hæc illi, & non malè. Quibusdam tamen non omni ex parte eorum sententia probatur: putant enim, Nouitios quidē ratione voti, aut præcepti, quod Regula, & institutum Ordinis constituit, Religionis Statutis non teneri, quæ Professos tantummodo tenent: at verò Superioris præcepto ligari, & cogi posse, non quidem absolute, & simpliciter, quoniam libere queunt à Religione discedere: Sed si in probatione persistere velint, debent Superioris imperio parere: tum quia eorum probatio id postulat: tum etiam, quia dum in probatione versantur, se Superiori subijciunt, & obligant, alioqui recedant, cum aliter probari commode, & gubernari nequeant: nam eadem ratione Superioris iussu, & auctoritate puniri possunt. Sed dicendum existimo, absolute, & simpliciter Nouitium statutis Religionis non alligari, vt Angelus, Siluester, & alij tradiderunt. At monendi sunt, vt ea seruent, vt suas vires explorent, vt proberent, vt assuescant: alioqui eorum probatio fati idonea non erit, & veteranos offendent tyrones. Hinc pendet quoque alterius quæstionis solutio, an si Religionis more, vel statuto aliquo, certi generis delicta Superiori referuntur, à quibus nullus alius possit poenitentem absolueri, Nouitij eiusmodi consuetudine, vel statuto teneantur. Respondent quidam Superiorē posse præcipere, ne absque eius nutu, & quiscūque Nouitios absoluat, ab eiusmodi delictis, quæ dum in probatione versantur admiserint: quo præcepto Nouitij ligantur, non simpliciter, nam si recesserint ab incepto Religionis instituto, absolui citra Superioris assensum possent: sed ex hypothesi, si in probatione perseverare voluerint, sic enim Superioris sunt potestati, & iurisdictioni subiecti: quibus Superior præcepta dare potest, vt eorum vitam, & mores commodius exploret. Mihi tamen videtur dicendum, Nouitium, hoc statuto non teneri, quia, vt dixi, Religionis statuta in vniuersum Nouitios nō ligant, quoniam in Religionis ordinem nondū admissi sunt. Si obijcias, Nouitius multi Religionis priuilegijs potitur, & gaudet, ergo etiam subijcitur poenis: nam qui habet honorem, sentire etiam, & sustinere debet onus. Respondeo, quæ ad fauorē, & gratiā spectant, plenissimè interpretari oportere: quæ verò ad odium & poenam, contrahere, & restringere.

Vndecimò Queritur, An Nouitius delinquens iure puniatur per Præfectos Religionis? Et quæstio solum intelligitur, si Nouitius crimē admittat, cui capitalem poenam iura, videlicet Canonones, vel leges irrogant, vt si fuerit homicida, proditor patriæ, latro, adulter: nam certò cōuenit inter omnes, si tantum cōtra Religiosam, vel Ecclesiasticam disciplinam peccauerit, à Religionis Præfecto puniendum. Ioannes Andreas *in cap. Beneficium de Regularib. in 6.* quæsiuit apud quem Iudicem Nouitius conueniri debeat, Ecclesiasticum, an Ciuilem. Nam quod coram Iudice Ciuili conueniri debeat, videtur inde concludi, quod nondum sit Religiosus effectus. Quod verò à Iudice Ecclesiastico puniendus sit, ex eo deducitur, quod causa, & gratia Religionis in eū Ciuilis Iudex inquirere, & animaduertere non debeat Archidiaconus, & idem Ioannes An-



deas, Geminianus, Francus, & alij in c. Beneficium, citato, communi consensu tradunt eum conueniri debere apud Iudicem Ecclesiasticum, eo quod fauore, & causa Religionis à ciuilibus Magistratus potestate est exemptus, sed prædicti doctores, eo capite, solù videntur loqui de causis Ecclesiasticis, non ciuilibus. Cæterum cum nostris temporibus omnes Religiosorum ordines Romani Pontificis beneficio, ab Episcoporum, quibus iure communi subiecti olim erant, potestate eximantur; efficitur, vt Nouitius delinquens à Monasterij Præfecto puniri debeat: quoniam sicut fauore Religionis à ciuili Magistratu adducitur Nouitij, sic etiam ab Episcoporum potestate, dum in probatione versantur. Nauar. *Commen. 2. num. 63.* disputat an Religionis Præfectus iure communi cognoscat, & iudicet delicta Nouitij ciuilia, & criminalia: & concludit iure communi tatum cognoscere delicta, quæ Nouitius committit cõtra regulam, & cætera religionis statuta, & *consil. 58. de regularibus.* idem docet, & tandem ait probabile esse, posse Præfectum religionis cognoscere, & iudicare de delicta Nouitij ciuilia, & criminalia, cuiusmodi est homicidium, perinde, ac si esset clericus, & professus. Et hoc est verius.

Duodecimò Quæritur, An Nouitius in aliquâ Monastici ordinis Præfecturam iure eligi, & promoueri queat? Respondeo, minimè, vt constat ex c. Nullus, de elect. in 6. vbi dicitur: Nullus Religiosus ad Abbatiam, seu Prælaturam suam, vel alterius Religionis de cætero eligatur; nisi antea fuerit ordinem Regularem expressè professus. Quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur. Ad dignitatem verò Episcopalem, ad quam Nouitij eliguntur interdum, talem in secularibus, & in Regularibus Ecclesijs, Nouitij eligi minimè prohibemus. Hæc ibi Pontifex. Vnde perpicitur, professionem tacitâ in hoc expressè non æquiparari: quoniam dicit, nisi antea fuerit expressè professus.

Decimotertiò Quæritur, An Nouitius Ecclesiasticis ordinibus iure inicietur? Respondeo iure esse cautum, ne Nouitius ad ordines ascendant, etiam ad primam tonsuram. Nam 13. *quest. 3. c. Monasterijs.* præcipit Gregorius, vt eos, quos ad conuertendum Monasteria susceperint, priusquam biennij in conuersione compleuerint, nullo modo audeant tonsurare. Hæc ibi.

Decimoquartò Quæritur, An Nouitius habeat ius, testamentum condendi? Respondeo Nauar. in c. non dicitur. 12. q. 1. nu. 30. Archidiaconum, Innocentium, & Hostiensem secutus, ius habere testamentum faciendi, & proinde donandi, & negocia cõtrahendi: quia cum nondum sit Religionem professus, suorum bonorum dominium habet; est enim adhuc suæ potestatis, & iuris, & hæc sententia est communi consensu recepta, vt constat ex Couar. de testam. cap. 2. nu. 4. & 5. colligitur ex cap. si qua mulier. 19. q. 3. Obijcies id, quod habetur in cap. quia ingrediens. 19. q. 3. in Authen. ingressi. c. de Sacrosan. Eccles. vbi legimus, ingressis in Monasteriũ nullam amplius esse facultatem testamentum condendi. Respondeo, ea iura loqui de ingressu in religionem, per quem Religiosus solemniter religionis instituitur, & regulam profitetur, & fit verè, & propriè religiosus, non de ingressu in religionem, per quem Nouitius ad probationem admittitur. Si ROGES, an in Concil. Trident.

Sess. 25. in decreto de Regularib. c. 16. adempta sit Nouitij facultas testandi, quia est ibi statutum, vt nulla renunciatio, aut obligatio antea facta etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij fiat, & reliqua. Respondeo cum Nauar. *Com. 2. de Regularib. nu. 50.* eiusmodi decretum nihil noui constituisse de testamentis Nouitiorũ, sed de renunciationibus, vel alijs obligationibus: quoniam testamentum donec morte testatoris confirmetur, reuocari potest: secus est in alijs obligationibus.

Decimoquintò Quæritur, an Nouitius testamentum facere queat absque solemnibus cæremoniis, & conditionibus, quas in ijs, qui testamentum condunt, ius ciuile requirit? Duæ sunt opiniones. Prima affirmat, quam tuetur Bartholus teste Nauar. in cap. non dicitur citato num. 84. eo argumento permotus, quod militi cælestis militiæ videtur idem iuris beneficium cõcessum, quod militi armatæ militiæ iuxta Glossam in l. Miles, ff. de sentent. & re iudica. Sed Religiosus est miles cælestis militiæ, ergo testari potest veluti miles armatæ militiæ, sine vlla iuris Ciuilibus solemnibus formula, ita vt facere queat testamentum absque legitimo testium numero, & ante vigesimum quintum ætatis annum, & possit filium præterire, & exheredare, & decedere ex parte testatus, & ex parte intestatus. Miles enim sine his liberam habet testandi facultatem, vt constat ex legibus ff. de Militari testamento. Sic etiã Abbas teste Nauarro.

Secunda opinio negat, quam habet Salicetus, & defendit Decius, ac magis probat Nauarrus, qui loco supra citato eos citat, ac sequitur, eo quod facultas liberè testandi non excludit solennes iuris conditiones, & cæremonias l. 1. c. de Sacrosan. Eccles. & l. Si quando, c. de inoffic. testam. & quia Monachus non per omnia æquiparatur militi armatæ militiæ, & quoniam Nouitius nondum est Religiosus, ergo nondum est miles militiæ cælestis. Mihi magis probatur opinio Bartholi, tum quia Religioni fauet: tum quia qui confestim est miles cingendus, habetur pro milite, l. Filijfamilias, ff. de Militari testam. Vnde ad eius testamentum sufficit si in eo seruentur Canonici, non Ciuilibus iuris conditiones.

Decimosexto Quæritur, An testamentum factum à Nouitio, & non relicta legitima portione, & iure institutionis Monasterio, quod habet ius succedendi in bonis Religiosorum, rumpatur per professionem sequentem, sicut rumpitur testamentum, si posthumus, qui natus est, præteritus fuit, & non institutus, vel exheredatus. l. Posthumorum, ff. de inoffic. testam. rump. irrit. testam. Hanc questionem tractat Couarru. de testam. cap. 2. nu. 4. Sunt tres opiniones, prima docet in vniuersum rumpi etiam testamentum factum ab eo, qui nõdum est, vt Nouitius, in Religionem ingressus, sed post conditum testamentum est ingressus. Cynus, Raphael, Fulgofus, & Federicus, quos citat Couarruuias: ratio est eorum, quia Monasterium succedit loco filij: ergo vel instituitur, vel exheredari debet, alioqui si sit præteritus, ius habet rumpendi testamentum, vt posthumus præteritus.



Secunda opinio tradit testamentum iure rumpi, si factum sit, vel à Nouitio, vel ab eo, qui antequàm faceret testamentum, cogitauerat seu decreuerat ingredi in Religionem. Barthol. Decius, Paulus, Baldus, Abbas, & alij quos refert Couarruias loco citato. Tertia opinio negat generatim testamentum etiam à Nouitio factum rumpi iure posse, ita Couarru. loco citato, & Nauarr. in cap. non dicatis. 12. q. 1. nu. 51. & 83. & Iulius Clarus lib. 4. recep. sentent. §. testamentum. q. 28. hæc opinio est verior, quia Monasterium non habetur loco filij, nisi in casibus iure expressis, at hic casus in iure non exprimitur. **SI QVAERAS**, an Nouitius testari queat sine Superioris consensu. **Respondeo**, cum Couarruias loco citato iure communi posse: quia est sui iuris, & potestatis.

### Caput III.

#### Aliæ quæstiones de Nouitijs diluuntur.

**PRIMÒ** quæritur, An Beneficium Ecclesiasticum Nouitij vacet? **Respondeo**, Non vacare, ex ca. Beneficium, De Regularib. in sexto, vbi dicitur: Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non est intra Probationis annum alicui conferendum, nisi ad id, ipsius accedat assensus. **Quæres**, an è contrario possit Nouitio Beneficium conferri? **Respondet** Glossa in eo capite, minime, id colligit, quia statu dubius non potest militiæ nomen dare, l. qui statu, ff. de re militari, & l. qui de libertate ff. De liberali causa. Et hoc, inquit, intelligitur de Beneficio sæculari, quoniam regulare ei potest conferri. At verò Geminianus, & Francus ibidem in vtroque Glossæ aduersantur: aiunt enim Nouitio posse Beneficiũ sæculare conferri, regulare verò non item. Primum ex eo concludunt, quod Nouitius adhuc sui iuris est, & propriũ habere potest: ergo est capax Beneficij, quod sibi collatum, ratum, & acceptum habere poterit suum assensum præstando. At verò Regularis Beneficij capax non est, cum id sit iure prohibitum, quod solis Professis conferendum decernit. *Clement. Quia Regulares, De supplen. neglig. Prælat. & Clem. Ne in agro, §. sanè Prioratus, De statu Monacho.* **QVAERES** deinde, Cum Nouitius Beneficium, vt pote Canonicatum, in Probatione retineat, an ius habeat eligendi? **Respondeo**, habere, quia inter fructus Beneficij computatur ius eligendi. **Rogabis**, an vocari debeat ad eligendum? **Archidiaconus** capite citato, respondet esse vocandum, si sit loco vicinus, nisi fuerit Religionis gratia legitime impeditus. Potest tamen, inquit, procuratorem ad eligendum constituere. At Paulus, & Ioan. Andr. in eodem capite vtrumque negant, quia causa Religionis ritè, & legitime abest. Secus verò esset de Patrono, & de eo, ad quem non iure Collegij, sed ratione personæ ius eligendi pertineret, is enim vocari deberet. Gemin. & Francus ibid. docent, siue vocatus, siue non vocatus ad eligendum accesserit, ius habere eligendi. Ex quo etiam efficitur, vt si sit patronus, ius habeat nominandi, designandi, & offerendi Clericum promovendum ad Beneficium, & in eo constituendum.

**Secundò** Quæritur, An Nouitius etiam si prima Clericorum careat tonsura, gaudeat priuilegio Canonis: si quis suadente; 17. q. 4. **Respondeo**, ex c. Re-

ligioso, §. Quamuis, De sent. excomm. in 6. cum gaudeat, ita vt si quis in ipsum violentas, & sacrilegas manus intulerit, in excommunicationem incurrat. Quo fit, vt Nouitius causa, & gratia Religionis gaudeat, & priuilegio fori, cum corã Iudice Ciuili conueniri nequeat, & priuilegio Canonis. **Obijcies**, quod habetur in l. qui de libertate, ff. de liberali causa, vbi statu dubius quæ facit tantisper dum controuersia est, facit, vt seruus, non vt liber. **Respondeo**, Nouitium nequaquam esse statu dubiũ, qualis est is, de quo ambigitur, sit seruus, an liber, sed Religionis causa, vt proxime dixi, gaudet beneficio, & priuilegio Canonis. Nec refert vtrum Nouitius ad pristinum prioris vitæ statum iure possit redire, an secus; quoniam quamdiu in Probatione persistit, in numero Ecclesiasticarũ personarum censetur, & habetur.

**Tertiò** Quæritur, quisnam succedat in bonis Nouitij ante Professionem mortui absq; testamento? **Cynus** in Auchen. Si qua mulier. c. de Sacrosan. Eccles. & alij quidã Ciuilis, & Canonici iuris interpretes, quos refert Nauar. in Commen. 2. de Regularib. nu. 49. opinantur, omnia eius bona ad Monasterium pertinere quoniam mortuus in eo, videtur mortuus, vt Monachus. Abbas tamen cuius sententia communi Canonici iuris Doctorum cõsensu est recepta, verius respondet in c. in presentia, de probation. ita distinguens: Aut in Monasterium ingressus sua bona in illud donatione transtulit, quam postea non reuocauit, & in eius bonis Monasterium succedit: Aut expressim Monasterio non contulit, & in eis succedunt necessarij ab intestato hæredes, ita etiam opinantur Decius in c. in presentia citato, lafon in Auchen. prædicta. Si qua mulier. Nauar. loco citato, & Siluest. Relig. 5. q. 12. **QVAERES**, quid dicendum est, si ingressus in Monasterium, ei omnia bona sua absolute donauit, & ante Professionem emissam ab incepto deficiat, an ius habeat repetendi, & recuperandi, quæ donauerat? Abbas respondet, si expressim inter viuos donatio non fuit, in dubio iudicatur donatio causa mortis facta; ac proinde non secuta per Professionem tacitam, vel expressam ciuili morte, iure recuperat, quæ donauit. Si verò non omnia simpliciter donauit, sed quædam duntaxat, non videtur donasse causa mortis, sed simpliciter, & proinde nõ habet ius ea repetendi.

**Quartò** Quæritur, An Nouitius iure Canonico, Religiosorum numero, & nomine censeatur? **Respondeo**, non censeri, ex c. Religioso, De sent. in excomm. in 6. vbi habetur. *Quamuis is, qui Religionem ingreditur, Religiosus censeri cum effectu non possit, donec sit tacite, vel expresse professus, &c.* Ex quibus efficitur, vt in arbitrium, aut testamenti executorè iure eligi queat, quamuis ratione probationis, in qua se exercet, sit legitime impeditus.

**Quintò** Quæritur, An Abbas habeat ius irrita faciendi vota, quæ Nouitius ante ingressum in Monasterium fecerat, aut quæ in Monasterio facit? **Hanc** quæstionem, supra dissoluimus lib. 11. c. 21. q. 10. Similiter eodem libro tractauimus eã, qua quæritur, An si quis Deo promiserit Religionem arctiorem, in mitiorem, & laxiorem iure admitti queat, & an penes Abbatem sit potestas Nouitiũ ab omni voto, & iureiurando, absoluendi.

**Sextò** quæritur, An Nouitius à Monasterio rece-



dens,debeat soluere impensas, quas in eo alendo Monasterium fecit? **Respondeo**, cum Geminiano, & Franco in c. non solum, de regularib. in 6. non debere: quia Nouitij probatio, & est in rem Monasterij, & in bonum ipsiusmet Nouitij: quod si Monasterium, eum aluit, ipse quoque Monasterio inferuiuit. Nec obstat, si per morbum nihil laborauerit. Et in c. super eo, de Regular. dicitur, Nouitios non prohibendos secundum Regulam B. Benedicti, ad priorem vitæ statum redire, quæ videtur præcipere, vt in eadem veste, in qua veniunt, reuertantur. Hæc ibi.

**Septimò** Quæritur, An Nouitij probatio solû intra Monasterium per annum integrum cõpleri debeat, an verò sufficiat, si partim in Monasterio, partim extra illud vestitur & habitu Religionis retento, & iussu Superiorum perficiatur? **Exemplum** esto: Titius Nouitius ad Probationem admittitur septem, aut octo menses post habitum Probationis susceptum in Monasterio peregit: postea iubente Superiore, & cum habitu Religionis extra Monasterium missus ad aliqua negocia gerenda, totum annu Probationis expleuit, Quæritur, an sit legitima huiusmodi probatio? **Respondeo**, cum Nauarro in c. consil. 52. de regulari. num. 3. & 4. esse legitimam. Nam Titius per annum integrum vestem, & habitum Religionis detulit, legitime susceptum, & per annum in probatione perstitit Superiorum potestati, & voluntati subiectus: nec iure aliquo statutum est, vt Nouitius totum Probationis tempus intra septa Monasterij cõpleat. Nutu enim, & iussu Abbatis potest Nouitius peregrinationem suscipere, in hospitali domo ad aliquot menses ægrotantibus, & indigentibus inferuire. Nouitius item, si morbo laboret, potest annum Probationis extra Monasterij consensu Superiorum cõplere. Accedit his, quod Abbas ait, in c. ex rescripto, de iureiur. Religiosus iussu, aut nutu Superioru extra Monasterij claustra degens, in Monasterio cõmorari, & residere censetur. **Obijcies** id, quod habetur in c. 1. de regularib. in 6. Quod si per totum sequentem annum in Monasterio permanferit, & reliq. **Respondeo**, eum, qui consensu, vel iussu Superiorum extra Monasterium consistit, pro Religioso, aut Nouitio in Monasterio permanenti, siue commoranti haberi.

**Octauò** Quæritur, An natalium vitio notati, aut ære pressi alieno, aut criminum, & scelerum infamia affecti possint vt Nouitij ad probationem in Religionem recipi? **Respondeo**, iure communi hos ab ingressu, & aditu in Religionem, vt probentur, non prohiberi. At Sixtus V. anno 1587. Constitutionem edidit, quæ incipit: Cum de omnibus Ecclesiasticis, in qua tria præcipit, **primu**, ne extra legitimum matrimoniu nati ex incestu, vel sacrilegio, quorum scilicet parentes consanguinitate, vel affinitate intra tertium gradum inuicem coniuncti fuerunt, vel quorum alteruter parens Deo castitatem vouerit, etiam Apostolica, vel Imperatoria, vel Regia auctoritate facti legitimi ad aliquam quoruncunque ordinu Mendicantium, vel non Mendicantium Fratrum, Monachorum, Eremitarum, Canoniarum, vel Clericorum Regularium, Congregationu, aut Hospitalium, Religionem, neque ad habitum, neq; professionem Regularem recipi quoquo modo possint. Quod si eorum quispiam post huius Constitutionis promulgationem habitum receperit, vel postea professionem emisserit: Decernimus tam

habitum susceptionem, quam professionem irritam esse, & nullius momenti, roboris, & obligationis: & eos habitum exui, & ab ipsa Religione eijci debere: & Superiores predictoru ordinum, qui ad habitum receperint, vel ad professionem admiserint, in excommunicationem incurrant, a qua præterquam in mortis articulo absolui non possunt, nisi à Romano Pontifice. Permittimus tamen, vt recipiantur ad habitum Conuersorum, seu famularum ad seruicia ministeria, ea cõditione, vt ad habitum Religiosorum, professionem, & Ecclesiasticos ordines maiores, siue minores, ad Clericoru consuram, & denique ad cuncta Ecclesiastica officia, sit illis semper aditus præclusus. **Secundò** præcipit, ne alij nati extra legitimum coniugium, spurij, vel naturales, etiã legitimi facti, ad Religionem admittantur, nisi prius illorum vitæ, & mores diligenter cognoscantur, & nisi cateræ circumstantiæ, ad Religiosorum institutionem necessariæ considerentur, ita vt in eis appareat Religionis zelus, studiu, pietas, integritas, doctrina, bona indoles, & specimen virtutis, quæ vitium natalium supplicat, eorû receptio vniuersæ Religioni cõmodo, & vilitati futura esse videatur. Et sic recepti ad gradus, honores, & dignitates obtinendas, perpetuo inepti, & inhabiles existant, nisi speciali Apostolica auctoritate fuerit eõ eis dispensatû. **Quod** si quis aliter recipiatur, nulla sit professio, & habitus priuetur, & Religione eijciatur, & qui receperint similes, vt supra dicti, excommunicatione cõtrahant. **Tertiò** præcipit, ne alieno ære pressi, vel ratiocinijs obligati, vel criminu, & scelerum, cuiusmodi sunt homicidia, furtu, latrocinia, vel alia similia, vel grauiora, vel suspecti ad illã Religionem recipiantur, si fuerint iuuenes, aut viri adulti, maiores sexdecim annis, nisi prius de eorum parentibus, patria, & antea vitæ, & moribus diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione cõpertum sit, eos neq; predictorum criminu reos, vel suspectos existere, nec properea damnatos esse, nec damnandos fore, neq; ingenti ære alieno, vltra suar facultatum vires grauatos, vel reddendus rationibus ita obligatos, vt ex huiusmodi causa lis vel molestia ipsi ita illata, vel inferenda credatur: & nisi conslet, ipsos non humana aliqua ratione, sed tantu deuotionis, & pietatis studio vitã Religiosam sponte, & ex animo elegerint: itaq; nisi de his omnibus in Generali, vel Provinciali Capitulo plena, & indubitata fide facta tam Superioris Generalis, seu Provincialis, quam Definitorum approbati, ad habitum Regularem nequaquam admittantur. **Alioqui** ad Religionem perpetuum inhabiles declaramus. **Quod** si aliqui contra hanc Constitutionem fecerint, in eis tam susceptionem habitus, quã professionem irritam esse decernimus: & eos habitum exui, & à Monasterio eijci debere. **Quod** si non fiat, liceat quibuscunque, Indicibus, & curijs etiam secularibus, ad quos contra eos procedendi ius spectat, vt prius iuris, & facti remedijs opportunis ex officio ciuili, & criminaliter procedere: & Superiores, qui eos contra hanc Constitutionem receperint, voce actiua, & passiva, necnon officijs gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuscunque obuentis, eo ipso in perpetuum priuamus, & ad ea, vel alia quacunque in posteru obtinenda perpetuo inhabiles declaramus. Hæc ibi. Postea edidit aliam, quæ incipit, **Ad Romanum** spectat, in qua multa declarauit, quæ fuerant in priori cõstitutione dubia, & obscura. **Primò**, non extendi priorem Constitutionem ad illegitimè natos ex ijs parentibus, inter quos ipse, quo geniti sunt, matrimoniu cõsistere poterat, si secuto postea matrimonio legitimi facti sunt. **Secundò**, eos, qui extra legitimum matrimonium nati ante editam priorem Constitutionem, & quauis auctoritate facti legitimi, ad gradus, honores, & dignitates promoti erant, eis spoliari debere, nisi specialiter, cõ ipsi in defectu natalium à Romano Pontifice, vel ab alio eius speciali mandato dispensati esse consuerit. **Tertiò**



eos, qui sine tali dispensatione tempore editæ prioris constitutionis, officia, & dignitates ad vitam habebant, eo ipso ab illis amoveri debere. Qui vero ad tempus obtinebant, ea retinere possent, dummodo ordinarius tempus non protrahatur, nec ipsi ad maiores, vel inferiores gradus ascendere possint. *Quæritur* appellacione dignitatum, honorum, & graduum intelligi quorumcumque Superiorum officia, non autem officia oneris, veluti Lectoris, Confessorij, studiorum, & sacre Theologie Magistri, Regentis, Predicatoris, & cetera huiusmodi, itaque ab ijs officijs, & similibus, inò etiam à voce altius, & à sacris ordinibus suscipiendis, ipsorumque ministerijs, ipsos illegitimos, dummodo ex sacrilegio, vel incestu geniti non sint, nequaquam arcemus. Sic ibi. At Gregorius XIII. has Constitutiones abrogavit ex parte, alia edita, cuius initium est: *Circumspecta* Romani, ubi ait, Dispensationes quasvisque, aut legitimaciones in defectu Natalium auctoritate Apostolica ad terminos iuris reducimus; & omnes dispensationes, & habilitaciones vigore privilegiorum, aut indulgentiarum Apostolicorum cuius ordinis, Religioni, Monasterio, aut Congregationi, eorumque Superioribus in genere, vel in specie concessorum, que tempore Constitutionum Sixti V. vsu receptæ erant, & non sub alijs renovationibus comprehensæ, per quoscumque eorum Superiores factis in pristinum statum restituimus, ita ut sicut antea, valeant. Ita tamen ut quâ locumque de illegitimo ad habitum, & professionem Ordinum quorumcumque agatur, ij ad quos recipiendi ius spectat, diligenter eorum vitæ, & mores inquirent, & sic demum recipiant, ut bonam indolem præferant, & eis tot merita suffragentur, ut natalium defectum suppleant, & eorum receptio Religioni profutura esse videatur; & ij, ad quos pertinet ius recipiendi materia deliberatione ita iudicaverint, & dummodo illegitimus non admittatur in eam Religionem, in qua pater eius sine ante, siue post natiuitatem ipsius professus fuerit, & adhuc sit superstes. Hæc ille. **SI ROGES**, an prædictæ constitutiones locum etiam habeant in recipiendis ad ordines Militares hominibus. Respondet quidam in illis locum non habere, siue Clericis, siue Militibus ad ordinem admittendis, quoniam etsi in vniuersum de Religiosis ad quemlibet Ordinem, & Religionem recipiendis loquitur, at militares ordines, ut dicam inferius in odijs, & poenis sub Religiosis ordinibus, non continentur.

*Nonò Quæritur*, An qui in excommunicationem incidit, eo quod violentas manus sacrilegè clerico intulit, iure possit in Religiosorum ordinem admitti, Rainerius, ut ait Siluest. *absolutio* 5. dub. 9. sensit admitti non debere, sed si recipiatur, ratus est eius in religionem ingressus, & rata habitus susceptio: sed quidquid sit hoc, quod dixit Rainerius certi iuris est, ut ait ibi Siluester Abbatem sequutus, & ingressum eius, & habitus susceptionem, & professionem Religionis locum habere, sicut firmum est matrimonium ab excommunicato contractum *cap. significasti*, de eo, qui duxit in uxorem. **SI QUÆRAS**, an hic in Religionem receptus, à Superiore, siue Abbate absolui possit Ioan. Andreas, in *cap. cum illorum*, de sentent. excomm. & Geminianus, in *cap. religioso*, de sentent. excõ. in *sexto*, negant per Superiorem, ab eo vinculo excommunicationis absolui posse. Sed verius est, quod tradiderunt Innocentius, & Hostiensis, absolui eum posse. Sic Silu. loco citato, & Tabiæsis, *absolutio* 3. num. 14. Armilla *absolutio*. num. 61. **SI ROGES**, an si hic, dum Nouitius est, per Superiorem, ab eo vinculo excommunicationis absoluitur, in

eandem excommunicationem relabatur, si antequam religionem profiteatur, ab instituto recedat, & sese ad seculum referat. *Respondeo* relabi, quare necesse est, ut à Romano Pontifice, vel ab alio ad id auctoritatem habente, absolute petat, & impetret: sic Angelus excommunicatio 5. *casu* 1. num. 48. Silu. Tabiæ. & Armil. *locis citatis*: quoniam absolutio per Superiorem facta tacitam habet conditionem, si is, qui in probatione Nouitius versatur, Religionem fuerit professus, alioqui in pristinum statum, & sententiam excommunicationis relabatur. **SI QUÆRAS** itidem, an si quis postquam est Nouitius in Religionem admittitur in eam excommunicationem incurrat, eo quod sacrilegè clericum percusserit, & per Superiorem ab ea soluitur, iterum in eam incidat, à Religione ante professionem recedens. Quidam aiunt, eum quoque in eam relabi, quod colligunt ex *cap. eos de sent. excomm. in sexto*, & Angeli, Siluestri, Tabiæsis, auctoritate confirmat. Sed certè quamuis Angelus generatim loquatur, Siluester, & Tabiæsis solum id dixisse videtur, de eo, qui antequam esset Nouitius, ad probationem receptus in eam excommunicationem incurrat, & ab ea per Superiorem absolutus, ut paulò ante iam dixi. Et caput, eos, citatum videtur locum habere in eo, qui, ob impedimentum absoluitur, at Nouitius ratione privilegiorum absoluitur: quare videnda sunt privilegia, & iuxta ea absoluedum Nouitiū esse iudicamus.

## Caput III.

## De Professione Religionis.

**PRIMò** Quæritur, quot modis Professio Monastica siue Religionis iure fieri possit? *Respondeo*, duobus modis, expressè, vel tacitè: Expressè quidem, verbo, vel scripto. Vnde ius habet professionem emittendi, si scripto, aut nubi, vel signis consensum exprimere queat: quibus etiam modis potest contrahere, aut pacificum alio. Neque ius aliquod Canonicum, (quod sciam) verba ad professionem requirit: fieri tamè potest, ut vi instituti, vel Regulæ verba Professio postulet. Porro Professio fieri debet, coram aliquo Superiore: hoc est, in manibus alicuius Præfecti cuius auctoritate Monachus in Religiosorum Congregationem inseri, & admitti possit, nimirum Abbatis, aut alterius, qui eius nomine, & nutu professionem acceptam habeat: alius enim nequit admittere.

**Secundò** Quæritur, quomodo Professio expressè emitti soleat? *Respondeo*, multis modis. Nam aliquando is, qui proficitur, promittit se seruaturum Regulam: aliquando obediturum Regulæ: quod intelligitur in ijs, quæ ut præcepta continentur in Regula: aliquando dicit professionem se facere, & vouere perpetuam Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam, teste Dionysio Carth. in *opus. de profes. monast. ar. 3. & 21*, aliquando fit sic: Ego, N. Monachus, siue frater promitto stabilitatem, & conuersionem morum meorum, perpetuam continentiam, carentiam proprij, & obedientiam secundum regulam S. Augustini. Porro formula secundum regulam S. Benedicti, hæc est, Ego, N. Monachus promitto stabilitatem, & conuersionem



*morum meorum, & obedientiam: corū Deo, & Sanctis eius secundum regulam B. Benedicti in presentia. N. Abbatis. Carthusienses profitentur sic, Ego. N. Frater promitto stabilitatem, obedientiam, & conuersionem morum meorum: in quibus professionibus intelligitur sub obedientia regulari paupertas, & Castitas, & licet non exprimentur, continentur in Regula. In ordine Prædicatorum, non exprimitur castitas, aut paupertas, sed Obedientia secundum regulā S. Augustini, & constitutiones eiusdem ordinis, dist. 1. c. 15.*

**Tertio** Quæritur, quot modis fiat tacita Professio? Respondeo iure communi antiquo, tribus. **Primum** quando quis habitu proprio Professorum suscepto legitime, id est, auctoritate, eius, cuius est in Religiosorum Collegium admittere, facit eiusdem Superioris auctoritate opus aliquod iure, vel consuetudine solis Professis conueniens *c. Vidua, De Regulari.* Necessè est autem, vt scienter id opus efficiat, hoc est, sciens id operis esse Professorum proprium. **Deinde**, vt spontè, non vi, aut metu faciat. Sed dubiæ quæstionis est, an ad professionem huiusmodi tacitam requiratur tridui spatium, quod, vt dicemus, ad professionem tacitam secundo modo est necessarium. Ioan. Andr. in *c. ad nostram de regularib.* cuius sententiam sequitur Angelus, verbo *Novitius. num. 12.* Rosel. *Novitius num. 14.* item alij multi putant id tridui spatium requiri argumento à simili permoti *ex c. Ad nostrā De Regulari. Anton. Butr. in c. citato. Vidua. & ad nostram de regularib.* requiri negant, quia in *c. Vidua, de Regularib.* nulla fit huius tridui mentio. Et hoc magis Abbati in eodem *cap. Vidua. & c. ad nostram citatis* placet, vt etiam mihi. Nam vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus: sed in *c. Vidua*, nihil de hoc triduo dicitur. Sic etiam Siluest. *Relig. 3. q. 16. & Nau. Comment. 4. de regularib. n. 73.* **QV A E R E S** insuper, an saltem debeat esse Novitius is, qui spontè se infert? Angelus, & Rosella negant id opus esse, quia in *c. Vidua*, non habetur, eam, quæ se intruserat, fuisse Novitiam. Siluester cum Abbate distinguit: Aut se ingerit sine habitu Professorum proprio, aut cum eo. Si primum, requiritur, vt sit Novitius, alioqui Clericus, qui non est Monachus, in Monachum professum euaderet, si se infereret. Si secundum minimè necesse est, vt sit Novitius, quia in eo *cap. verbum nullum de Novitia. Mihi* verò quatuor videntur necessaria ad huiusmodi tacitam professionem. **Primum**, vt quis scienter, & spontè faciat opus Professorum proprium. **Secundum**, vt id faciat cum habitu Professorum, vbi est manifestè distinctus, ritè suscepto, eius nimirum auctoritate, qui potest professionem acceptam habere. **Tertium**, vt habeat debitam, & legitimam ætatem, vt constat *ex c. constitutionem, de regulari. in 6. & Quartum*, vt opus illud Professorum proprium faciat auctoritate Superioris, qui potest in religionem admittere. Hæc ex Abbate. Ang. Siluest. Rosella, *locis ante citatis, & Nauar. Comment. 4. de Regularib. nu. 73.*

**Altero** modo fit tacita Professio, cum quis sciens, ac volens deserat habitum proprium Professorum, qui est manifestè distinctus in colore, scissura, vel formā, à vestitu, & habitu Novitiorum, & in eo perseverat per triduum, *c. ad nostram, de Regulari. & in cap. Constitutionem, De Regulari. in sexto.*

Exigitur autem, vt gestet huiusmodi habitum susceptum nutu & auctoritate eius, cuius est ad Professionem admittere; & vt deserat in Monasterio, vel extra quidem, sed Abbatis iussu, vel nutu. Abb. in *c. ad nostrā, de Regularib.* Angel. Siluest. Rosel. *locis citatis.*

**Tertio** modo fit tacita professio, cum quis deserat habitum Novitiorum, & Professorum communem, aut non distinctum manifestè in colore, scissura, vel figura, quamvis occulta distinctione differentem, per annum integrum: nam in exitu anni professus tacitè censetur, *cap. Ex parte, De Regulari. in 6. & Clement. eos qui, de Regularib.* opus quoque est, vt eum vestitum, & habitum gestet sciens, ac volens, & acceptum eius auctoritate, qui ad professionem recipit. Porro sufficit ad professionem dictam, si vestitus non solum Professis & Novitijs communis sit, sed ijs etiam omnibus, qui vna cum eis communiter in Monasterio viuunt, quamvis Monachi non sint. **Annocandum** tamen est, quod rectè Nauarrus in *Comment. 4. de Regularib. num. 74.* contra Abbatem annotauit, esse differentiam in iure Canonico, quod attinet ad professionem. Nam in *c. Is qui, De Regulari. in 6.* Si impuberes in Monasterio ingrediantur, etiam si totum sequentem annum habitum Professorum, & Novitiorum, & aliorum in eo viuentium communem gestent, Professis non censentur: qui verò post pubertatem eiusmodi habitum, per annum integrum detulerint, ij in Professorum numero habentur. At verò iure Clementinæ, eos, qui, de Regularibus, absolute decernitur, eos, qui rationis compotes Novitiorum habitum in Monasterio per annum gestauerint, hoc ipso, eā Religionem tacitè profiteri. Nisi huiusmodi, inquit, habitus in colore, scissura, vel forma manifestè distinctus ostendatur ab habitu Professorum. **Ex quo fit**, vt si deserat habitum Novitiorum, vbi ab habitu Professorum manifestè distinctus est in colore, scissura, vel formā, Professus minimè fiat, etiam si gestet illum per viginti, & eo plures annos.

**Quarto** Quæritur, An sit aliud genus tacitæ professionis? Innocentius, Hostiens. Goffredus, & Ioannes Andreas in *c. ad nostram, de regularib. & c. consulti, eo. tit.* videntur ponere quartum genus, nimirum cum quis Novitiorum habitum suscipit animo mutandi vitæ rationem absolute, & simpliciter, hoc est, voluntate Religionem proficendi, & in ea perpetuè permanendi. Id probant *ex c. Super eo, & c. consulti. c. statumus, De Regularib. & c. Beneficium, cap. Non solum, De Regularib. in 6.* quibus omnibus in locis decernitur, Si quis susceperit habitum Novitiorum, eum intra annum probationis posse liberè recedere, nisi illum susceperit animo rationem vitæ simpliciter mutandi. Cuius voluntatis, inquit, Glossa, indicia sunt, si Beneficium, quod habet, deposuerit; si se suis omnibus bonis abdicauerit. Sed verius est, quod Cardinalis, quem citat Silu. *religio. 3. q. 19. versic. 4. inducitur, & Abbas in c. consulti. de regulari.* & his posteriores, Angelus, & Siluester, & Rosella, *locis supra citatis* tradiderunt, non esse quartum huiusmodi genus tacitæ Professionis. Nec enim cum quis Novitiorum vestem, & habitum suscipit, animo, & voluntate proficendi Monasticum institutum, aut in eo



perseuerandi, eo ipso, Professus censetur. Nam in cap. Non solum, De Regulari, in 6. postquam dixerat Pontifex, nisi professus sit tacite, vel expresse, subiecit hæc verba: aut euidenter constet illum vitam voluisse mutare. ergo manifestè distinguitur hic, ab eo, qui expresse, vel tacite proficitur. Et in c. ex transmissa, De Renūciat. Clericus quidam, qui Beneficio deposito vestitum Monasticum susceperat, & deinde mutato animi proposito, ad pristinum vitæ statum redierat, & Beneficium repetebat, non compellitur ad Monasterium reuerti, licet ei Beneficium, quo se abdicauerat denegetur. Ea verò iuris capita supra citata nihil huic sententiæ obstant: ex illis enim tantummodo colligitur, eum, qui Nouitiorum habitum suscipit animo, & voluntate simpliciter mutandi vitæ rationem, hoc est, voluntate profitendi, & in vita Monastica perseuerandi, simplici voto Religionis obstringi, nec posse iure ad priorem vitæ statum redire, propterea, quod non solum promissio sit in Monasterium ingressurum, vt experiretur, expediretne sibi vita Monastica, sed etiam vouit se professionem emissurum, & perseueraturum in ea.

Ex his constare facile potest solutio illius questionis, qua queri solet, An is, qui amicum, & habitum Nouitiorum suscipit animo, & voluntate, ac voto mutandi simpliciter vitæ institutum, & Monasticum profitendi, in eoque perseuerandi, si se matrimonio coniungat, eo deinceps teneatur. Item, an sibi aliquid tæquam proprium possit acquirere. Nam (vt Abbas insinuat) Innocentius, Hostiensis, Goffredus, & Ioannes Andreas, locis citatis senserunt, nec matrimonium contractum vilius esse momenti, nec eum rei cuiuspiam dominium, & proprietatem acquirere. Putarunt enim illi, hominè huiusmodi esse verè, & propriè Monachum tacite professum, & proinde ineptum, & inhabilem ad contrahendum coniugium, & ad rei dominium, & proprietatem acquirendam, ex cap. 1. De voto, & voti redempti, in 6. Vbi sancitum est, voto solemniter facto, per professionem approbatæ Religionis expressam, vel tacitam, non solum impediri matrimonium contrahendum, sed etiam contractum dirimi. Cæterum verior est sententia Cardinalis, quam Abbas approbat, & sequuntur Angelus, Rosella, & Syluester locis citatis, talem hominem, non esse Monachum tacite professum, quoniam professio, sine consensu Abbatis, aut alterius ab eo delegati consistere non potest: sed Abbas, cum tradidit huic habitum Nouitiorum, non eo animo tradidit, vt eum ad professionem admitteret, sed vt eius vitam, & mores exploraret. Ex quo etiam fit, vt ratum sit, & firmum matrimonium post huiusmodi habitus susceptionem contractum, tamen si is, qui contrahit, peccet. Similiter cum, per talem habitus susceptionem simplex tantum paupertatis votum factum sit, qui suscipit habitum, potest sibi iure communi tanquam proprium aliquid acquirere.

Quintò queritur, Quo modo professio expressa, vel tacita profitentem obliget Religioni? Respondeo, esse distinguendum: nam Professio tacita ante annum Probationis expletum facta, per habitum Professorum susceptum in ætate legitima, & triduo scienter, & spontè delatum, profitentem obligat generaliter Religioni, non tamen

illi, cuius est habitus susceptus: & hoc, vt ait Glossa, locum habet, tum in Mendicantium, tum etiam in ijs ordinibus, qui non sunt ex numero Mendicantium. Nam in cap. Constitutionem, De Regularibus, in 6. aperte dicitur: Tacite verò facta professio intra Probationis annum per susceptionem habitus, qui Profitentibus tantum datur, non illi specialiter, cuius habitus est susceptus, sed generaliter Religioni alicui recipientem habitum obligat, si sit ætatis idonee; si sciens, & voluntarius triduo perseueret. Hæc ibi. Annosandum est, Monasterium, in quo quis huiusmodi professionem tacite fecit, obligari ad eum retinendum, quamuis ille non fit ecce nobis obligatus, sed Religioni in vniuersum: sibi enim imputet Monachorum cõuentus, quod illum tacite profiteri permittit. Expressim verò emissa professio in Ordinibus Mendicantium intra annum Probationis minimè profitentem obligat ei Religioni, quam proficitur, vt constat in c. Non solum, De Regularibus, in 6. vbi Pontifex scribens fratribus Familie Prædicatoriæ, & Franciscanæ, ait: Quod si forte contra hanc nostram prohibitionem, quemquam recipere presumpseritis, decernimus, eum, qui taliter receptus fuerit, nullatenus vestro esse ordini assignatum. Sic ibi, & hoc Decretum in cap. sequenti, constitutionem, de Regularibus, in 6. trahitur ad omnes ordines Mendicantium, quales sunt Augustinianorum, & Carmelitarum. Professio verò expressim facta ante annum Probationis exactum in Ordinibus, qui Mendicantes non sunt, profitentem obligat ei ordini, & Religioni, quã proficitur, vt docet Glossa, & alij in cap. Ad Apostolicam, De Regularibus, in 6. vbi dicitur: In alijs Religionibus (nimirum, quæ mendicantes non sunt) professio expresse, vel tacite fieri iure potest intra annum: sed expresse emissa, etiam seculari habitu non mutato, illi Religioni præcisè obligat, quam Proficiens est professus. Hæc ibi.

Notandum autem est, si quis expressim iure antiquo proficitur Religione Mendicantium intra Probationis annum, & Professionem emittit animo, & voluntate ei se obligandi, eam irritam esse, & inanem, etiam iure communi, & ideo liberum ei esse ad sæcularem pristinum vitæ statum reuerti, si velit, quoniam nulli Religioni obligatur, vt ait Geminianus ex communi Doctorum sententia, in c. constitutionem, de regularibus, in 6. Ang. professio, nu. 3. Sylu. religio, 3. q. 5. Nauar. Comment. 2. de Regularibus, nu. 5. Si verò professionem faciat, in animo habens se obligare Religioni generatim, obligatur verè Religioni in vniuersum, vt ait idè Geminianus. Sed dubiæ questionis est, an hic, qui religioni generatim obligatur, sit verè, & propriè Religiosus, hoc est, sit professus Religionem, ita vt si matrimonium contrahat, irritum sit matrimonium: item si aliquid acquirat, non sibi, sed religioni generatim acceptæ acquirat. Geminianus, vt citat Angelus, & Rosella, & refert Syluester, immo communis ferè, teste eodem Syluestro, sententia iuris Canonici Doctorum, putant esse verè, & propriè religiosum, inhabilem ad coniugium contrahendum, & ad aliquid sibi acquirendum. Sed verius est, quod idem Angelus, & Syluester, & Nauarrus, locis citatis, docuerunt Lapum, & Calderinum sequenti in consil. 26. de regularibus, non esse verè, & propriè Religiosum professum: nam nulla religio ei obligatur: at in professione est mutua, & reciproca obligatio, qua Religiosus obligatur



Religioni, & Religio ipsi Religioso: nihilominus tamen hic obligatur generatim Religioni, vt voto simplici de ingressu in Religionem obstrictus, & proinde si coniugium contrahat, peccat, sed matrimonium valet. Item, sibi, non Religioni acquirit. Angel. Syluest. Nauar. *locis citatis.*

**Sexto** queritur, An per Concilium Tridentinum *sess. 25. De Regularibus cap. 25.* sublatae sint tacitae professiones? **Respondeo** cum Nauar. *tom. 1. Consil. De Regular. Consil. 35. nu. 5.* aliquas tantum, non omnes esse abrogatas. Nam Concilium decernit, *no in quacunque Religione tam virorum, quam mulierum professio fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minori tempore, quam per annum in Probatione steterit post susceptum habitum, ad professionem admittatur, & professio antea facta sit nulla.* Ex quibus verbis colligitur, esse sublatae tacitae professionem, de qua *in cap. Vidua, De Regularibus,* quae inducebatur, cum quis habitu Religionis suscepto, scienter, & vltro opus Professorum proprium faciebat. Nunc verò non sufficit, nisi integrum annum Probationis post susceptum habitum Religionis expleuerit. **Item,** submota est etiam ea tacita professio, quae inducebatur ex hoc, quod quis sciens, ac volens per triduum deferebat habitum Professus conuenientem, vbi est manifestè distinctus. At verò post Concilium Tridentinum talis professio cessat, cum integer annus Probationis requiratur. Tertium verò genus tacitae professionis, quae fit, cum quis per annum integrum gestat habitum Nouitiorum, & Professorum communem, aut non distinctum manifestè, quomuis differentem occultè, nequaquam est à Concilio Tridentino sublata, quoniam idetiam post idem Concilium potest contingere, nimirum elapso anno Probationis, & expleto aetatis anno decimo sexto.

**Septimo** queritur, Quid iudicandum sit de eo, qui ante annum Probationis exactum Professionem emittit; deinde verò per multos annos vitam Monasticam agit tanquam Professus, cum tamen emissam professio rata, & firma non fuerit. **Respondeo;** Aut professionem post elapsam Probationis annum redintegrat, ac repetit, aut non: si primum, eo ipso, fit Monachus professus: si secundum, nequaquam. **Quaerens,** an sufficiat, si professionem emissam ratam, & acceptam habeat. **Respondeo,** id sufficere. Sed est annotandum, id locum habere, quando sciens professionem emissam nullius momenti fuisse, postea ratam habet, & acceptam, quia vult postea, vt sit efficax, & firma, vt docet Nauar. *in Manual. c. 12. nu. 71. & tom. 1. Consil. De Regularibus. Consil. 25. num. 7. ex Caiet. 2. 2. q. 189. artic. 5.* Quare non censetur eam confirmare, quando ratus eam locum, & vim habuisse, approbat, & confirmat, quod fecerat: nam tunc nihil facit, sicut nec ante fecerat, quoniam per ignorantiam pristinum factum confirmat. **Dubitabis,** an sufficiat, si tanquam Professus à ceteris Professis, etiam à Religiosis Praefecto habeatur, si Professorum opera faciat, vt si ferat suffragium in conuentu, in confessu, in comitijs, si Abbatis iussu sacris ordinibus initietur. **Respondeo** cum eodem Nauarro nihil horum sufficere, quoniam scienter non fiunt. Nam Monasterium, & Abbas eum tanquam Professum admittunt, rati bona fide Professionem vtilem, & firmam fuisse: oporteret autem, vt Abbas eum de

nuo scienter tanquam Professum reciperet. **Quaerens,** an ad Professionem repetendam sit carenoriae solennes ex Regulari praescripto, aut consuetudine fieri solita? Ac videntur quidem ex vno capite eas esse repetendas, eo quòd cum nulla professio fuerit, ipsae quoque carenoriae irritae fuerunt, & inanes. Ex altero vero capite, & non videntur iteranda, quia sufficit, si id repetatur, quòd initio non sufficit, nimirum professio. **Respondeo,** satis esse, si suum denuo consensum accomodet, & praestet Monachus, quo professionem renouet, & Abbas, aut alius nomine, & auctoritate ipsius eum scienter admittat.

**Octauo** queritur, quotus aetatis annus sit iure communi necessarius ad professionem emittendam? **Respondeo,** iure communi aotique necessarium fuisse in masculis annis decimum quartum expletum: & in foeminis, completum annis duodecimum, *cap. 1. De Regularibus. in 6. & cap. 1. 20. quest. 1.* Porro in Mendicantium ordinibus nemo iure ad Professionem admittitur, nisi exacto decimoquarto anno, & vno integro Probationis. *cap. Constitutionem, de Regularibus. in 6. vbi post hoc decretum subiungitur: In alijs autem Religionibus professio expressa, vel tacita fieri potest licite intra annum, nimirum Probationis.* At verò iure nouo Concilij Tridentini *sess. 25. De Regularibus. cap. 15.* decernitur, vt in quacunque Religione tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum: nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in Probatione steterit, ad Professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regularis, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscunque effectus. Hec Concilium.

**Nono** queritur, An Professio locum, & vim habeat ante legitimam aetatem, & tempus iure constitutum? **Animaduertendum** est ad Professionem, quod attinet ad tempus, duo requiri, & aetatem legitimam, & annum integrum Probationis. Aetas necessaria est pubertatis, ante quam aetate exactam, si professio fiat, nulla est iure communi, & antiquo significatum, *cap. Ad nostram, De Regularibus. Masculi enim ante decimum quartum annum elapsam, adhuc impuberes dicuntur, & ad professionem inepti, & inhabiles: foeminae verò ante duodecimum annum completum: & in hoc malitia non supplet aetatem, quam tamen supplet in matrimonio, & in cap. Quia in Iusculo, De Regularibus. excipiuntur Religiones Insularum, in quibus quia (vt iura loquuntur) durior, & asperior est Monachorum vita, & obseruatio, requiritur ad professionem decem, & octo anni, vt ante notauimus. De anno verò Probationis iure communi ante Concilium Tridentinum constitutum erat in cap. Non solum. De Regularibus in 6. Ne in ordinibus Praedicatorum, & Franciscanorum familiae, quis ad professionem admitteretur ante annum Probationis exactum: & in cap. Constitutionem, De Regularibus in 6. decretum extenditur ad alios Mendicantium Ordines, qui sunt Augustiniani, & Carmelitani instituti. Et deinde subiungitur: *In alijs autem Religionibus professio expressa, vel tacita fieri potest licite intra annum: quamuis in cap. Ad Apostolicam, De Regularibus. sancitum fuerit, Ne Abbates passim, & inconsiderate, ante tempus Probationis quoslibet ad professionem reciperent: Et si contra formam praescriptam quoslibet inco-**

sunt ad-



sultè admissis, animaduersione debita eos corrigendos. Ex quibus colligitur, iure communi, ante Concilium Tridentinum, Professionem factam ante annum Probationis integram, ratam quidem fuisse in alijs ordinibus, præterquam Mendicantium, ac potuisse fieri non passim, & temere, sed aliquando iustis de causis: In ordinibus verò Mendicantium iure fieri non potuisse. Verùm quæret aliquis, an si ea fieret, vilius esset momenti. Hostiensis negat, Abbas verò affirmat. Similiter etiam in Inuitis ante decem, & octo annos emitteretur professio, Hostiensis eam negaret vtilem, & ratam futuram; sed Abbas affirmaret quidem locum, & vim habituram, sed mala fide contra ius esse factam. Cæterum post Concilium Tridentinum professio in nulla Religione fieri potest ante decimum sextum annum expletum, nec ante integrum Probationis annum, post habitum susceptum: & si antea fiat, irrita est, & inanis. Non tamen prohibet Concilium, ne quis Religionis habitum suscipiat ante sedecim annos completos, neque decernit, ne Probationis annus ante eos exactos implatur. Quare hodie etiam annus Probationis, integer expleri potest ante decimum sextum completum, & vilius Probationis admitti professio expleto decimosexto: quod etiam Nauarrus annotauit. *Conf. 30. de regularib. nu. 1.*

Decimo queritur, An Professio per vim, aut metum cadentem in virum constantem emissa sit rata, & firma? **R**espondeo ex communi omnium sententia non esse: quoniam ipso iure Canonico sit irrita, & inanis. *c. per laicū de ijs, que vi metusie causa sunt, vbi votum per metū susceptum, vt irritum habetur.* Verùm dubia quæstionis est, an Monachus per vim, vel iustum metum Religionem professus, & in ea aliquot annos perseveras, ius habeat reclamandi, præsertim si Abbatis auctoritate fuerit ad sacros ordines prouectus. De qua quæstione, aliud est secundum ius commune dicendum, aliud secundum ius nouum à Concilio Tridentino sancitum. Primum igitur, quam diu durat vis, aut iustus metus, hoc est, qui cadit in virum constantem, Monachus reclamare iure potest, vt constat, *ex ca. 1. de his, que vi metusie causa sunt.* Deinde, cessante vi, & iusto metu sublato statim liberum est Monacho reclamare; Statim autem intelligitur id facere, si intra tempus arbitrio Iudicis definiendum id fecerit. Nam vt Hostiensis, & Abbas *capite citato*, testantur, cum tempus ad aliquid faciendum non est lege præscriptum, auctoritate, & arbitrio Iudicis definitur. *l. qui pro tribunali. ff. de senten. & re iudicata, & c. de causis, de offic. Iudic. deleg.* Cessante verò vi, & metu remoto, & tempore arbitrio Iudicis legitime transacto, Monachus reclamandi iure priuatur, quoniam eo tempore professionem ratam, & acceptam habere censetur. Hoc tamen locum habet, si pariter etiam sublata sint omnia reclamandi impedimenta: nam tamen si vis, & metus iam esse desierint, Monachus tamē si ad multos annos impediatur, quo minus reclamet, ius semper habet reclamandi.

Postremo cum iure communi nullū esset tempus decretum, Concilium Tridentinum definiuit quinquennium. Sic *Sess. 25. de Regularibus cap. 19.* loquitur: *Quicumque Regularis præsentat se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat aut etatem*

debitam professum fuisse, aut quid similo, velique habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non auditur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis: & tunc non aliter, nisi causas quas præcenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit; nullatenus ad allegandum quacunque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur. Interim verò nullo sue Religionis priuilegio iuuetur. Hactenus Concilium. **O**bseruandum est, huiusmodi decretum locū habere, tum in his, qui tacite professi sunt, tum etiam in his, qui professionem expressim emiserunt. Concilium etenim in vniuersum de professione loquitur. **S**I R O G E S à quoniam tempore computari incipiat quinquennium, & quis sit ille dies professionis, à quo quinquennium inchoatur? **R**espondeo, quod ad professionem expressim attinet, dies, à quo incipit quinquennium, est ille in quo facta est professio: in tacita verò professione est dies ille, in quo Monachus tacite est professus per habitum Nouitiorū, & Professorum communem, & solum occultè distinctum, sciēter, & sponte susceptum, & per annum integrum vitrò delatum. Cæterum si vis, vel iustus metus, vel reclamandi impedimentū plus, quam quinquennium durauerit, iure potest audiri, & in integrum restitui.

Ad extremum in huiusce Concilij decreto septem condiciones exiguntur, vt Monacho liceat intra quinquennium reclamare. **P**rima est, Ne quis antea habitum dimittat. **S**ecunda: Ne sine voluntate superiorum ob id à Monasterio, etiam cum habitu recedat. **T**ertia: vt causas, quas obtendit, antea coram Superiore, & Ordinario deferat. **Q**uarta: vt si antea habitum exuerit, nullatenus ad allegandum vllam causam admittatur. **Q**uinta: vt redire ad Monasterium compellatur, si contra fecerit. **S**exta: vt tanquam apostata puniatur. **S**eptima: Ne vlllo Religionis priuilegio iuuetur. Quas condiciones Nauarrus in *Comment. 4. de regularibus, num. 77. & 78.* explicuit ita, vt putet eas omni offensione semota, & aliorum damno vitato, non semper locum habere. Nam si quis bona fide credat, ob vim, & metum sibi contra ius illatum, professionem irritam, & inanem fuisse, & ob id, vt reclamare commodè posset, è carcere fugerit, habitum deposuerit, & Iudicem adierit, poenas apostatæ non incurrit: præsertim si secus facere nequiuert.

#### Caput V.

##### *Alia quæstiones de eadem re dissoluantur.*

**P**RIM O queritur, An Professio per dolum, & fraudem emissa rata, & firma habeatur? **R**espondeo distinguendo: aut qui proficitur, animus, & voluntatē profitendi non habet, & nulla est eiusmodi professio, quamuis eam meritò seruare cogatur ad aliorum offensionē deuitandam & cauendam. Ecclesia enim, quæ sunt occulta, non iudicat: vnde vouens, professioni stare compellitur, vt aliorum conscientijs consulatur. Aut habet in animo profiteri Religionem, sed nō obseruare, quod pollicetur, aut non se obligare ad Monasticum institutum: atque hæc professio coram Deo rata est, & firma; nam sufficit, si volun-



tate, & animo professionem emiserit, ex qua obligatio, tanquam effectus ex naturali causa maneat, ac surgit.

Secundo queritur, An professio sub conditione emissa vim, & locum habeat? Respondeo, cum Abbate. *cap. vlt. de condit. apposi. ex Inno. Hostiensis, & Ioan. Andr. & Glossa.* Si conditio adiecta, professionis substantiæ repugnet, eam ita vitiat, ut nulla sit, & inanis, ut si quis profiteatur ea conditione, ne Castitatem seruare cogatur, vel ut rerum proprietatem, & dominium retineat. & in posterum sibi æquirat, vel ut nutu, & arbitratu suo viuat: hæc enim singula professionis substantiæ aduersantur, quæ in tribus votis consistit perpetuæ Castitatis, Obedientiæ, & Paupertatis. Cæterum magna est quæstionis apud Canonici iuris interpretes, an rata sit professio eius, qui emittit sub conditione, ut domi suæ maneat, vel ut sua bona retineat, vel ut aliquid ræquam peculium habeat, vel ne, si quando fuerit ad regulare Beneficium promotus, ad nutum Abbatis reuocari queat? De qua quæstione multa tradiderunt Canonici iuris interpretes, Innocentius, Hostien. Ioan. Monach. Ioannes Andreas. Anton. Anchar. Imola, Abbas, & alij in *c. infinuante. qui cleric. vel uouent. & in cap. vlt. de condit. apposi. Et iuris Ciuilibus doctores, Bart. Iafon. & alij in Authen. Ingressi. C. de Sacrosan. Eccl. Couarr. in 4. Decretal. p. 2. c. 3. §. 1. nu. 8. Nau. Comment. 2. de regulari. nu. 16. Ange. religiosus. q. 19.* Nos autè supra breuiter, & succinctè, quantum res ipsa patiebatur, egimus. In præsentia, hoc vnum dicere sufficit, proprietatem, & dominium rerum cum professionis natura pugnare, non tamen vsum rerum Abbatis nutui, & volutati subiectum. Vnde de professionis naturam non tollit ea conditio, ut Monachus vsum suarum rerum Abbatis permisso, & consensu retineat, & domi suæ extra Monasterium maneat, vel ut in posterum peculij possit acquirere: non quidem ita, ut illius dominium, & proprietatem habeat, aut vsum, qui nutu Abbatis reuocari nequeat, sed tantum administrationem, & vtilitatem, & commodum pro Abbatis arbitratu, & voluntate. Vsum rerum, qui in facto tantum consistit, cum voto paupertatis, aut cum voto Obedientiæ non pugnat: ut aperte constat. Hæc ex Abbate *ca. Infinuante, qui cleri. vel uouentes, & Syluest. relegio. 3. qu. 8. & Couar. & Nauar. locis citatis.* Sed quæ et aliquis, an iuri communi prædicto, quod continetur in *ca. infinuante, qui cleric. vel uouent. & in cap. de viduis 27. q. 1. derogatum sit per Concilium Trident. sess. 25. ca. 2. de regular. Respondeo cum Nauar. Comment. 2. nu. 16. de regularib. non esse derogatum: quia in *c. infinuante, & c. de viduis, solum statuitur, ut quis fieri possit Monachus professus, & retineat bona sua nutu, & consensu Abbatis, hoc est ut Glossa interpretatur, retineat vsum bonorum suorum reuocabilem ad nutum Abbatis. At in *c. 2. sess. 25. de regular. in Conc. Tridentino* decernitur, ne monacho concedatur bona stabilia, etiam ad vsum fructum, & ne concedantur, ut habeat tanquam propria.**

Tertio queritur, An solius Abbatis sit ad professionem admittere? Respondeo, cum Panormitano in *c. Apostolicam. de regularib. & Syluest. relegio. 3. q. 13. Angel. professio. nu. 1.* videndum esse, an consuetudine, hoc ad solum Abbatem pertineat, ut infinuatur in *cap. vlt. De Regularib. in 6. Rursus an etiam*

ex priuilegio, vel instituti Regula talis potestas soli Abbati conueniat. Quæ si absint. Abbatis est ad professionem admittere adhibito suorum Monachorum consilio, quoniam Regula decernit, ut quæ præcipua sunt non agat sine Monastici consensu, hoc est, sine Collegij consilio. Monachorum autem creatio ex præcipuis vnum est. Ex quo etiam fit, ut sine consilio Collegij, creatio Monachi iure communi rata non sit: quando enim requiritur ex iure consilium, nisi adhibeatur, nullius est momenti, quod fit, ut testatur cū Glossa idem Panormitanus, loco citato. At verò nullo iure compellitur Abbas ad Monachorum consilium sequendum, eo quod ubi, non consensus aliorum, sed consilium requiritur, satis est illud exquirere, ac petere, expectare, ac audire responsum. Quocirca Monasterio vacante collegium Monachorum non potest Monachum creare: sicut vacante Ecclesia, Collegium Canonicum nullum ius habet Beneficium conferendi, ut suo loco dicemus. Abb. Sylu. Angel. locis supra citatis: **QVÆRAS**, an iure communi solius Abbatis sit, Monachos recipere? Panor. loco citato, ait, ad solum Abbatem pertinere iure communi. Sed verius est, quod docuerunt Ioan. Monachus, Archidia. Ioan. Andreas, Gemina. & Francus in *ca. vlt. de regularib. in 6. cum Glossa ibidem in verbo pertinet.* ad Abbatem, & conuentum iure communi pertinere Monachum creare: quod probant *ex cap. ca. moftitury, de his, que sunt à prelati. fin. consen. cap.*

Quarto queritur, utrum Episcopus ius habeat admittendi Monachum ad professionem? Innocentius *cap. porrellum. de regularibus,* docet penes Episcopum potestatem esse Religiosum constituendi, quamuis in nullum Monasterium ingressum, nec habitum Religionis indutum, nec certi instituti Regulæ professum. Satis, inquit, est, si in manibus Episcopi tria vota faciat, Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ. Nam tamen si domi suæ se contineat, est Episcopi potestati, & iurisdictioni subiectus, qui ei vixit modum ac Regulam præscribere potest, ac debet. Id colligit *ex cap. si vii. 27. quæst. 2.* Idem etiam cum Innocentio videtur sentire Hostiensis in *cap. Porrellum. prædicto.* Cæterum, ut Antonius Butrius, & Panormitanus *cap. Porrellum. citato. & Syluest. relegio. 3. q. 14. Angel. professio. nu. 1.* testantur, per huiusmodi professionem solemne Religionis votum non emittitur, quod matrimonium contrahendum impediatur, & contractum dirimat: hoc enim solum conuenit voto solemni facto per professionem expressam, vel tacitam Religionis approbatæ, *cap. 1. De voto, & voti redemptio. in 6. Immo, ut idem notat Panormitanus, non erit hic homo verè, & propriè Religiosus, quoniam iure communi talis non est, nisi qui Religionem approbatam expressim, vel tacitè proficitur. Secus verò esset, si Episcopus ad professionem Regulæ approbatæ admitteret Abbatis consensu, aut reciperet, eo quod Monasterium esset ipsi subiectum. Innocentij sententia olim locum habebat, quum Episcoporum iurisdictioni erant Monasteria subiecta: & iuxta eum morem videtur Innocentius locutus: & nunc etiam locum habet, ubi Monasteria sunt Episcopis subiecta. **SI QVÆRAS**, an is, qui habet administrationem Religionis, vel Ordinis, vel Monasterij, possit admittere Monachum ad professionem, ita ut locum, & vim habeat professio? Respondeo cum Angel. professio.*



na. 1. & Syluest. religio. 3. q. 18. iure non posse, nisi auctoritatem habeat, qua possit in Religionis corpus admittere.

Quintò quæritur, An professio expressè per Procuratorem fieri queat? Respondeo cum Syluest. religio. 3. q. 15. posse, nisi instituti Regula cõtrarium præscribat. Nam per procuratorem fieri possunt ea, quæ ius non prohibet. l. 1. §. V. ff. De procurator. in cap. Potest quis, De reg. iur. in 6. Sed professio non excipitur, ut constat ex Glossa in l. Pomponius. ff. de procuratorib. & Glossa in cap. Qui ad agendū, De procurat. in 6. in quibus locis cum multi casus excepti numerentur, professio non computatur.

Sextò quæritur, quæ pœna iure ipso irrogetur his, qui ante tempus iure constitutum ad professionem admittunt? Respondeo, si quis ante pubertatem aliquem admittat ad professionem præter lethale peccatum in quod incurrit, quia sibi patriam potestatem usurpat, ac bitrio ludicis punitur. Glossa in cap. Ad Apostolicam, De regularibus. Quæ verò ante annum probationis integram ad Professionem recipit, in Ordinibus quidem, qui Mendicantes non sunt, male facit, si passim, temere, & inconsideratè admittat, c. Ad Apostolicam, citato: & pœna arbitrariæ Iudicis subiicitur, Glossa in eo cap. In Ordinibus verò Religiosorum Mendicantium, grauius delinquit, quoniam virtute obedientiæ, & pœna excommunicationis cõstitutæ per comminationem id facere prohibetur, cap. Nō solum, De regularib. in 6. vbi etiam ipso iure suspenditur à recipiendo quolibet ad professionem, & vt grauioris culpæ pœna puniatur, decernitur. **QVAERTES**, an irregularitatē contrahat, qui ita suspensus aliquem ad professionem admittit? Respondeo cum Geminiano in ca. Non solum, de regular. in 6. & cap. Constitutionem. eo. lib. & tit. minimè, quoniam admittendi actus, nō est Ordinis, sed iurisdictionis opus, cū fœmina, quæ sanctimonialibus præest, ius habeat ad professionem admittendi fœminas. Item potest esse Abbas, qui nō fit in sacris Ordinibus constitutus, cap. Tuam, De etate, & qualitat. Ordinariorum.

Septimò quæritur, Quot, & quæ ad expressam professionem requirantur? Respondeo cum Syluest. religio. 3. q. 18. & Angel. professio. nu. 1. ex his, quæ hæcenus diximus, sex colligi. Primò iure cõmuni antiquo, ætas pubertatis, cap. 1. De Regularib. in 6. nimirum in maribus annus decimus quartus expletus, in fœminis duodecimus. At nūc post Concilium Tridentinum in vtrisque annus decimus sextus exactus, & in Insulis annus decimus octauus, cap. Quia in Insulis, De Regularib. Secundò, ex iure cõmuni annus integer probationis post habitum susceptum in Ordinibus religiosorum Mendicantium; non tamen in cæteris, cap. Non solum, ca. Constitutionem, De regularib. in 6. At verò iure nouo Concilij Tridentini requiritur ille integer annus probationis in qualibet Religione, tum virorum, tum fœminarum. Tertio, vt professio admittatur ab eo, qui ius habet recipiendi, & creandi Monachos, vel eius mādato, vel eius nomine, tum enim valeret professio, si Abbas postea ratam haberet, nomine ipsius factam; secus esset, si nomine eius non fieret; tunc enim eam professionem nō posset ratam habere, vt docet Angel. professio. nu. 1. Geminianum, & Lapum sequutus: idem etiam Syluest. religio. 3. q. 18. Quæ tō, vt professio fiat in Religione

approbata, c. 1. de voto, & voti redemp. in 6. Quintò, vt fiat professio adhibito Monastici cõuentus cõsilio, nisi aliter instituti Regula, consuetudo, vel priuilegium præscribat. Sextò, vt tria vota, Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ perpetuæ emitantur. At hæc tria vota fieri possunt explicitè, vel implicitè. Nam in quibusdam Religionibus professio emitti solet vno voto obedientiæ expresso, cæteris implicitè, tacite uè cõtentis, quia promittitur obedientia secundum Regulam, Institutum vel Constitutiones. Postremò, rata est professio quibuslibet verbis emissâ, licet nō seruata forma, quæ regula præscribit: nam hoc professionem non vitiat, nisi regula expresserit professionem irritâ esse, & inanem, nisi sic, vel aliter facta fuerit.

Octauò quæritur, An professio ex ira, alia uè animi perturbatione facta subsistat, & valeat? Aijunt quidam eam nullius esse momenti. Sic Ludouicus Romanus, Iason, & alij: quod colligunt ex l. Quicquid. ff. De regul. iuris, vbi dicitur: Quicquid in calore iracundiæ, vel fiti, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuerit iudicium animi fuisse: ideoque breui reuersa vox, nec diuersis videtur. Idem prorsus in l. Diuortium. ff. De diuortijs. Colligunt itè ex Glossa in cap. Dudum, De conuers. coniugat. Quorum sententiâ merito Nauarrus confutat. Nam si ira, vel quælibet alia perturbatio plenum rationis iudicium nō tollit, minimè votum infirmat: sufficit autem tale rationis iudicium, quale, & quantum ad lethale peccatum satis esset, quam Nauarrus sententiâ docuerant Ioannes Andreas, Abbas, & Decius.

Nonò quæritur, An professio per qualemcunque metum facta sit rata, & si: ma? Respondeo, ratum esse votum, quod quis facit metu mortis, naufragij, incendij, morbi, belli, hostium, aliorum uè similibus periculis: & peccare eum, qui huiusmodi promissa non præstat conditione implera. Item votum irritum non reddit metus mortis etiam violentæ, nisi fuerit incussus ad votum ipsum extorquendum, aut nisi tantus sit, vt hominem abducatur ab usu, & iudicio rationis, vt colligitur ex Abbate, & alijs in cap. Perlatum, de his, quæ vi metu sive causa: ergo metus mortis violentæ illatus ad extorquendum professionis votum, infirmat illud, Hostien. Abb. & alij in cap. Perlatum, citato. Nisi metu sublato is, qui professus fuerat, ratam, & acceptam habeat professionem. ca. Porrectum, & cap. Si cui nobis, de regularib. **SIROGES**, an metus, qui dicitur reuerentiæ paternæ professionem irritam reddat? Glossa in cap. Præfens, verbo, Patrem. 20. qu. 3. ait irritam facere. Sic etiam Bartholus, & Imola in l. V. an. ff. De reg. iuris, & l. Metum. ff. De ijs, quæ vi, metu sive causa. Ita quoque Nauar. commen. 2. de regularib. nu. 31. Sed necesse est, vt patris minæ præcedant, vt colligitur ex eodè Bartolo, Cyno, Baldo, Ioanne Andrea, & Antonio Butrio locis citatis; & vt talis sit metus, qui si abesset, professio nō fieret: præsertim cū de foro interiori, nō exteriori loquamur.

Decimò quæritur, An professio ob malū finem emissâ vllius sit momenti? Respondeo, votū simplex ob malum finem factum non obligare vouentem, siue ille sit finis boni, quod vouetur, quale est votum erogandi elemosynam ob inanem gloriam, siue sit finis ipsiusmet voti, cuiusmodi est votum, quo dux ad bellum iniustum proficiscens promittit se centum aureos datum in pios

Teste Nauarro Commen. 2. de regular. nu. 67.

ait Nauar. loco citato.



vsus, vt victoriam reportet, & eo animo vouet, vt tali voto victoriam obtineat, aut pro victoria iniquè suscepta Deo gratias agat. Professio tamen etiam ob malum finem emissa, qui sit ipsius professionis, vel profectis finis locum habet, hoc est, rata, & firma censetur, quando cumq; is, qui proficitur, animum, & voluntatem habet proficendi, veluti cum quis proficitur, vt Monasterij bona succuratur, vel vt aliquem occidat in Monasterio; aut vt Monachos perturbet. Ita Syluest. *religio. 3. quæst. 6.* Antoninum, & Paludanum sequutus. Item, quando malum animo conceptum, & propositum non est finis professionis, sed solum eam comitatur, rata est, & firma professio: vt si quis cum proficitur, vanè aliquid concupiscat: nam etiam quodlibet aliud votum hoc modo factum, locum & vim habet. **SIROGES**, quare alia vota facta ob malum finem non valeant, cum valeat professio facta propter malum finem? **Respondeo**, quia professionis substantia consistit in tribus votis, quæ faciunt qui proficitur, videlicet in voto Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, quæ sunt bona promissa: quamuis is, qui proficitur, animum intendat ad malum: quemadmodum si quis Sacerdos fieret, aut si Paganus fieret Christianus, ad malum animum intendens, finis nõ vitaret opus bonum, quod fieret. Secus est, cum quis vouet datum se eleemosynam ob inanem gloriam: tunc enim finis malus est voti materia: & ideo votum ipsum vitare censetur.

**Vndecimò** queritur, An per professionem, omnium peccatorum condonatio, siue remissio habeatur? **S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 3. ad 3.** Caiet. *ibidem.* **S. Antonin. part. 3. tit. 16. capit. 3. §. 3.** Walden. *de Sacramental. tit. 9. cap. 80.* Palud. *4. dist. 38. quæst. 4. artic. 1. conclus. 5.* Angel. *religiosus. q. 47.* Syluest. *religio. 3. q. 23.* & alij Summistæ aperte docent, per professionem omnia vitæ pristinæ peccata deleri: quæ sententia videtur apud veteres illos Monachos fuisse communi consensu recepta. Legimus enim in vita Antonij, quibusdã Angelos apparuisse, ex quorum verbis illi Monachi didicerint, per habitum vitæ Monasticæ susceptum restitui hominem ad eum statum, in quo est quispiam, cum sacro Baptismate renascitur: nec Monachum rationem redditurum de peccatis ante Monasticam vitam admissis, vt potè, quæ in ipsa Monastici instituti professione condonantur: & si statim atq; habitum suscepit è vita decederet, eum in cælum euolaturum. Hæc cum fuerit, vt prædixi, veterum Monachorum communis Traditio; cui sententiæ videntur subscripsisse Athanasius in *vita S. Antonij*, Hieronimus in *epist. 25.* & in *epist. 8.* Leontius Cyprius Episcopus in *vita Simeonis Abbatis*, Anselmus in *lib. Similitudinum. ca. 11.* Bernar. *lib. de præcept. & dispensat.* nullo modo mihi videtur neganda. Nec mirum videri debet, si priuilegium, quo Martyrio ornatur, ex parte quoque Religionis professioni concedatur. Nec tamen idcirco professionem Baptismo æquari dicimus, sicuti neque Martyrio: Baptismus enim est Sacramentum à Christo Domino institutum, cuius merito, & auctoritate primam gratiam confert, & omnem culpam, ac poenam delet, ac tollit: at verò professio nequaquam est Sacramentum, sed opus hominis, & virtutis officium adeo excellens, & eximium, vt si is, qui Religionem

proficitur, sit aliqui Dei gratia, & charitate præditus, ab omni poena vitæ pristinæ peccatis debita mundeatur. Non igitur professio primam gratiam confert, aut culpas vitæ prioris remittit, & abolet vt Sacramentum, sed aufert omnia peccata, id est, omnem poenam peccatis debitam expiat: poenæ etenim peccatorum apud veteres Patres; sicut etiam apud sacros Scriptores, peccata non raro appellari solent.

**Quæres**, an si quis lethalis peccati cõsciens, & reus professionem emittat; ac deinde interuallo temporis de suo peccato doleat, reuiscat in eo professionis effectus, ita vt cum incipit de peccato legitimè dolere, professio suum effectum sortita, deleat omnem poenam peccatis respondentem, quam initio non remisit, id lethali peccato impediens? **Respondeo** cum Caietano, professionem non habere vim, quam habet Sacramentum: Baptismus enim cum sit opus Christi Domini vim, & efficacitatem ex eius institutione habet: & ideo si initio cum sumitur, & ob impedimentum hominis, effectum suum non præstat, sublato per legitimam poenitentiam peccato, incipit valere, quia quodammodo reuiscit, ac surgit. At verò professio, cum sit opus hominis, si initio cum sit, peccatorum poenas non remouet, postea non reuiscit, etiam si is sua peccata detestetur, ac plangat.

**Duodecimò** queritur, An per professionem omnium irregularitas ante contracta tollatur? **Respondeo** Glossa in *c. Ex litterarum, de Apost. non tolli eam irregularitatem*, quæ est ex proprio delicto suscepta, sed quæ ex alieno peccato contrahitur: nimirum, parentum, vt quæ ex defectu natalium provenit: & hoc, ait, colligi ex *cap. 1. dist. 56. c. 1. de filijs Presby.* & Authentica, de Monach. in qua aperte habetur, per ingressum in Religionem omnem irregularitatem aboleri, dicit, intelligi debere solum de prædicta irregularitate. Sic etiam sentit Hostiensis, & sentiunt alij in *cap. Ex litterarum, de Apost. Sed Abbas in cap. Ex litterarum, citato, nu. 5.* per professionem censet eam tolli duntaxat, quam ius ipsum expressit, cæteras verò minimè: quod est dicere tolli solum irregularitatem contractam ex vitio natalium, vt habetur *c. 1. dist. 56. c. 1. de filijs Presby.* Quare *Authen. de Monach. vbi dicitur omnem irregularitatem deleri per ingressum in religionem*, cum sit imperatoria, & civilis in hac parte locum non habet. Et quamuis irregularis ob defectum natalium professione emissa possit ad ordines Ecclesiasticos eligi, & prouehi, non tamè ad Dignitates, Administrationes, & munera publica, aut Beneficia, quæ curam animarum habent. *cap. 11. c. 1. de filijs Presbyterorum.*

**Decimotertio** queritur, An cautè professio emittatur, cum quis proficendo promittit se Monasticam Regulam seruaturum? **S. Tho. 2. 2. q. 186. art. 9. ad 1. c. in quod. 1. q. 2. o. in finuar. cautius professionem emitti, cum quis vouet se victurum iuxta obedientiæ præscriptum, quàm si promittit se Religionis Regulam seruaturum, aut victurum iuxta Regulæ rationem: quoniam qui sic promittit, sese obligat in omnibus, quæ Regula præscribit, ac præcipit. Sed certè nihil est, quod in secundo modo professionis reprehendatur. Sic enim professio fit secundum Regulam B. Benedicti: & is**



modus profitendi approbatur in ca. Ex parte tua, De regularibus, & tantum promittitur obseruatio Regula, prout illa passim intelligitur ab omnibus, & prout est more, & vsu recepta.

Decimoquarto queritur, An consuetudine induci queat, vt illi professi censeantur, qui vouent tantummodo obedientiam, nihil exprimendo de continentia, nec de proprij abdicacione? Respondet Specular. de statu Monach. q. 36. minimè: quia nõ ipso, quo vouet quis obedientiam, vouet alia duo: nisi promittat obedientiam secundum regulam S. Augullini, Basilij, vel Benedicti, vel S. Francisci, aut nisi promittat obedientiam, & sese bonis abdicet, mundanisque delicijs, vt colligi potest ex c. Vidua, de regularib. cap. Porrellum. eo tit. cap. 1. 20. quest. 1. Et Innocen. cap. Porrellum. de regularib. au. Si quis se tradat, & mancipet certæ religioni approbatæ: perinde est, ac si profiteatur. Item, si quis voueat obedientiam Monachalem, dummodo id faciat in manibus, inquit, Superioris, qui potest in religionem admittere. Et adde, dummodo in alijs seruetur Concil. Trident. sess. 25. cap. 15. d. regular.

### Caput VI.

De vi, & potestate solemnium votorum, quæ in professione approbatæ Religionis emittuntur.

**P** R I M O queritur, An solemnne votum, & simplex eiusdem, rei atque materij natura sua differant, an institutione diuina, an potius sola Ecclesiæ lege, & constitutione? Duæ sunt opiniones: Prima docet vi, & natura sua distingui, in quo autem hæc differentia consistat, variè explicatur ab huius opinionis autoribus. Alij enim putant in eo differre, quod votum solenne in præsens tempus confertur, simplex in futurum, siue quod simplex sit rei futuræ promissio, solemnne verò rei præsentis: ita quidam, vt testatur Glossa in cap. Rursus, qui Clerici, vel vouentes. Nam simplex votum Religionis, est promissio, & sponso futuri in Religionem ingressus, solemnne vero est præsens ipsius Religionis professio. Sic votum simplex castitatis, vel religionis est, quo vir promittit castitatem, vel in religionem ingressum, post obitum vxoris. Item, votum simplex est, quo quis promittit se sacros Ordines suscipiturum, vel peregrinaturam ad sacra, & religiosa loca, post quatuor annos. Alij dicunt votum simplex esse, quo quis suæ personæ promittit obsequia, & ministeria; non tamen tradit suam personam. Votum solemnne est, quo quis & suæ personæ promittit obsequia, & suam personam donat: Sicut aliud est, cum quis alteri obligat suam operam, & ministerium, aliud verò quum suam etiam personam alteri obstringit, ac tradit: sicut aliud est, si promittas alteri tuæ arboris fructus, aliud si arborem dones. Vnde aiunt, votum solemnne in traditione consistere, simplex verò non item: ita vt solemnne, & simplex votum differant, perinde, atque sponsalia, & Matrimonium, quod sicut in sponsalibus, est sola promissio futuri coniugij; in matrimonio verò traditio, qua vnus coniux se alte-

ri tradit, sic in simplici voto religionis est sola promissio, qua quis promittit in religionem ingressum: in solemnne verò traditio, qua is, qui vouet, sese Religioni tradit, ac mancipat, & Religio eum admittit, ac recipit. Vnde in solemnne, sicut ex parte vouentis est traditio, sic ex parte Religionis, & Ecclesiæ, est admissio, atque receptio. Quo fit, vt solemnne votum emittatur in manibus alicuius, qui nomine Religionis, & Ecclesiæ recipit votum, in voto verò simplici sola est promissio, quia nullus est, qui nomine Religionis, vel Ecclesiæ recipiat: & vbi receptio non est, nequit esse traditio; ac propterea simplex votum in manibus alicuius non fit. Hanc opinionem sequuntur, S. Thom. Bonauent. Richard. Durand. Argent. 4. dist. 38. & inter iuniores Theologos Scotus, & alij multi S. Thomæ discipuli, vt infra citabo. Alij distinguunt, dicentes, Votum solemnne esse sua natura perpetuum, simplex verò posse quidem tale esse, non tamen necessario, quoniam sæpe multa vouemus ad tempus. Sic nonnulli teste Glossa in cap. Rursus, qui Clerici, vel vouent. Alij, quod solemnne publicè emittatur, simplex verò id ex vi, & conditione sua non postulet, quamuis publicè aliquando ex accidenti fiat. Alij denique, quod solemnne in quadam consecratione consistat; ac non ita simplex: nam votum Castitatis sacris Ordinibus annexum, eorum, qui iniciantur, ordinationi coniungitur: & solemnne Religionis votum non fit absque aliqua vouentium consecratione: Vel enim consecratus vestitus, & habitus suscipitur, vel aliqua alia consecrationis formula adhibetur. Sic S. Thom. 2. 2. quest. 88. art. 7. & artic. 11. videtur sentire. Secunda sententia docet: Votum simplex, & solemnne eiusdem rei non differre per se ex ipsius voti ratione, & natura, vel iure diuino, sed sola Ecclesiæ constitutione: quam opinionem Põtificij iuris interpretes omnes sequuntur, cum Glossa in cap. Rursus, supra citatis. Innocentius, Hostiensis, Archidiaconus, Ioannes Andreas, Abbas, Ancharanus, Cardinalis, Francus, Felinus, & cæteri, & inter Theologos Scot. 4. dist. 38. quest. 1. Herue. quodlib. 11. quest. 25. Henricus quodlib. 6. quest. 39. & Palud. 4. dist. 38. quest. 4. art. 4. concl. 11. Cate. 2. 2. quest. 88. art. 7. Medina libr. 4. de continen. sacror. hominum, cap. 23. & sequentibus. Palacius 4. dist. 38. disputat. 2. Alten, libr. 8. tit. 16. Angel. matrimonium 3. impedimen. 5. Rosell. impedimentum 4. numer. 2. Et hæc opinio magis cum iure Canonico, & ratione congruere videtur. Nam in cap. Rursus, qui Clerici, vel vouentes, dicitur: Cum simplex votum apud Deum non minus obliget, quam solemnne, & reliqua & in cap. Quod votum, De voto, & voti redempt. in 6. habetur: Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta.

Deinde, iusurandum solemnne à simplici non differt, nisi in hoc, quod illud iuris solemnem, ac celebrem formulam habet, qua caret simplex. Sic etiam testamentum, aut matrimonium dicitur solemnne, eo quod iuris solemnni cæremonia, & formula constet. Ergo votum eo tantum solemnne censetur, quod in eo iuris Canonici cæremonia, & formula præscripta adhibetur. At sicut in testamentis, Matrimonijs, & Iureiurando solemnne formula, ac celebritas non est ex iure naturali, aut diuino, sed ex iure scripto. Sic etiam in voto nulla est ex ipsius natura distinctio, nisi ra-



trione rei, & materiæ subiectæ: ergo tota solemnitate voti celebritas est iuris scripti. Accedit, quod cætera, quas primæ opinionis auctores constitunt, differentia, cum ipso iure, & veritate parum consentiunt, nisi accedat Ecclesiæ auctoritas, & constitutio. Non enim omne votum simplex in futurum confertur: ut si quis tria vota, Castitatis, Obedientiæ, & Paupertatis in Religione nõdum approbata emittat, aut etiam in approbata, sed tantummodo tanquam simplicia, non solemnia. Neque obstat, si dicas, solemnne votum per se postulare, ut in præsens tempus cõferatur, simplex verò posse quidem, sed per se id non exigere: nam satis nobis est, si probemus vtrumque votum esse rei præsentis, non solum futuræ. His adde, falsum esse, solemnne votum in traditione consistere, non autem simplex: nam qui tria vota in Religione non approbata emitteret, verè se traderet: Deo ad ea vota seruanda, & tamen solemnna non essent. Item, posset Ecclesiæ auctoritate constitui, ut vota, quæ nunc in Religionibus approbata, ut solemnna emittuntur, desinerent esse solemnna, nec matrimonium contractum dirimerent, & tamen in traditione tunc temporis, sicut nunc, etiã consistere.

**DICES**, Traditio non est, ubi Ecclesia non recipit; & proinde in votis Religionis non approbata nulla traditio subsistit; quia Ecclesia non recipit: & solemnna vota Religionis approbata, si solemnna esse desinerent, inciperent traditione carere, quia tunc ea vota minime Ecclesia recipere: **Contra**, inde fieret, ut solemnne votum non in sola traditione consistere, sed in ea, quam ut solemnne Ecclesia recipit: & proinde tota solemnitate voti celebritas sola nititur Ecclesiæ auctoritate; id quod nos contendimus. Postremò, licet simplex votum, quod est futurum in Religionem ingressus, traditione non consistat, quoniam is, qui sic religionem promittit, Religioni non se tradit, ac mancipat; at votum simplex, quo quis in religione approbata promittit Deo perpetuam Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam, consistat traditione: nam hic simpliciter dicit, voveo Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam, sicut dicit is, qui professionem emittit: & uterque se Deo tradit, & religioni ad viuendum perpetuo in castitate, paupertate, & obedientia. Dices, Votum eius, qui proficitur, recipitur à Superiore, hoc est, ab eo, qui religioni præest: simplex non item. Insuper, solemnne votum nõ solum fit Deo, sed etiam ei, qui religioni præest, coram quo emittitur professio; at votum simplex soli Deo, nõ homini fit. Sed contra est, quia licet religio non se obliget omni ex parte ei, qui simplex votum in religione facit, ut se obligat ei, qui religionem proficitur; negari tamen non potest, quin is, qui simplex votum in religione facit, quod ad se pertinet, tradat, dedicat, & mancipet seipsum religioni. Item licet religio non recipiat, ut professum, eum, qui simplicia vota religionis emittit, recipit tamen, ut religiosum, qui seipsum ipsi religioni tradit, & consecrat. Si iterum obijcias: fieri non potest, ut in voto simplici castitatis, vel religionis fit traditio: quoniam alioqui per votum simplex matrimonium sequens dirimeretur; eo quòd, si postquam re tuam vni tradideris, tradas

alteri, secunda traditio nõ subsistit, aut valet. **Respondet**, quòd votum solemnne dissoluit subsequens matrimonium, non habet vi voti, aut vi traditionis, sed constitutione Ecclesiæ, & traditio rei, vel personæ, quæ ex iustitia descendit, est alterius rationis, quàm sit ea, quæ existit ex religione: hæc duæ traditiones non semper vi, & natura sua pugnant, ut manifestò patet: nam duo coniuges etiam post matrimonium consummatum, sponte sua possunt iure religionem profiteri, ita ut sint per solemnem professionem verè, & propriè religiosi. Et nihilominus coniuges sunt, quoniam coniugium consummatum non dissoluitur: seruitus etiam, & matrimonium simul consistunt, & nihilominus seruus est possessio domini, & est vxoris vir. Ergo duæ traditiones, quando sunt diuersæ rationis, non semper sua vi, & natura pugnant, licet pugnent, quando ambæ ex iustitia oriuntur.

**Accedit**, quòd falsum quoque est, solemnne votum à simplici distingui, quòd solemnne per se potest, ut publicè fiat, non item simplex: potest enim Ecclesia decernere, ut tria vota Religionis, quamvis priuatiuè, & occultè facta, pro solemnibus habeantur. In Religione item non approbata eiusmodi vota, quamuis palam, & publicè emissa, simplicia sunt: & professio Religionis approbata tacita, votis solemnibus constat, quæ tamen per se, & expressim emissa, & facta non sunt. Præterea, verum non est, solemnne votum à simplici differre, quòd illud aliqua Ecclesiæ consecratione effectum sit: in multis enim Religionibus solemnis votorum professio emittitur absque vlla personarum, vestium, vel aliarum rerum consecratione. Postremò, nihil impedit, quominus Ecclesia constituat, ut vota sint solemnna absque vlla profusa consecratione, & è contrario, ut vota sint profusa simplicia, quantumcumque his accedat aliqua consecratio personarum, vel rerum: **Quare** ut breuiter concludam, illud est votum solemnne, quòd est iuris scripti canonici solemnitate, & formula præditum: id simplex, quòd ea caret. Porro S. Thomas, & alij veteres Theologi Altifiod. Alber. Bonauent. Richard. Durand. & alij, cum docent solemnne votum à simplici distingui, quòd simplex fit sola rei promissio, solemnne verò in traditione rei promissæ consistat, loquuntur de voto simplici, quo res futura promittitur: ut cum quis promittit se in religionem ingressurum, cù promittit se post tres, vel quatuor annos castitatem seruaturum, aut se peregrinaturum, aut se ordines sacros suscepturum: nos verò in præsentia loquimur de voto simplici, quòd nõ in futurum, sed in præsens confertur, ut cum quis promittit perpetuam castitatem, paupertatem, & obedientiam.

**Secundò** queritur, in quonam voti Religionis solemnitate formula, & celebritas consistat? In hac questione tot sunt sententiæ, quos in præcedenti. Quidam enim putarunt, in hoc consistere, quòd solemnne votum per se publicè fiat, & eius violatio alios offendat: simplex verò non item. Sed hoc meritò Scotus, Bonauentura, Richardus, Durandus, & ipse etiam S. Thomas refutarunt in 4. dist. 38. & nos etiam in superiori questione: sicut & illud, quòd alij docuerunt, votum solemnne id

esse,



esse, quod coram Ecclesia emissum etiam probari potest, simplex verò nequaquam. Sed quid si simplex coram testibus, & publicè fieret, & scripto quoque consisteret? Quare probabiliores sunt duæ tantummodo sententiæ, quarum una docet, solemnem voti rationem in traditione, & translatione quadam positam esse. Nam qui solemnem ritu, & cæremonia, tria vota Religionis emittit, per Paupertatem, se facultatum, ac rerum suarum dominio abdicat, & ineptum, ac inhabilem se reddit ad rerum proprietatem, ac dominium in posterum acquirendum. Per Castitatem, se ad Matrimonium contrahendum inhabilem facit. Et per Obedientiam suæ personæ dominium in Religionem transfert; quæ ius acquirit, ipsam quandocunque ab ea recesserit, repetendi, recuperandi, & reducendi tanquam rem suam. Ex quo, inquit, fit, ut soleat cum hac personæ traditione aliqua consecratio coniungi, quæ tanquam nota signatur persona Religioni addicta, tradita, ac mancipata. Sic S. Thomas, in 4. dist. 38. q. 1. art. 2. ad q. 3. Bonau. 4. dist. 38. art. 2. quest. 1. Alber. 4. dist. 39. art. 16. Richard. 4. dist. 38. art. 7. q. 1. & 2. Dur. 4. dist. 38. q. 1. num. 9. Argem. 4. dist. 38. quest. 1. art. 3. ad 1. quam postea iuniores S. Thomæ discipuli pugnantissimè meri conati sunt, Turrecrem. 27. q. 1. cap. 1. q. 1. Sot. lib. 7. de iust. q. 4. a. 2. Syluest. votum 4. quest. 5. Tabie. dispensatio. q. 7. Altera sententia affirmat totam solemnem voti rationem iuris Canonici constitutione esse inductam, & proinde in eo solo sitam esse, quod ius Canonicum constituit. Sic Hæricus, Sotus, Herueus, Paludanus, Caietanus, Medina, & Palacius, & omnes Canonici iuris doctores: & inter Summistas, Astensis, Angelus, & Rossella, locis supra citatis: quæ certè opinio manifestè iuris Canonici testimonio comprobatur. Nam in cap. quod votum, De voto, & voti redemptio, in 6. aperte definitur, voti solemnem ex sola constitutione Ecclesiæ esse inuentam: quod iuris Canonici decretum, S. Thomas, S. Bonaventura, & Richardus veteres Theologi videre non potuerunt. Est enim id à Bonifacio VIII. sanctum post S. Thom. Bonaventuræ, & Richardi tempora. Nec vim habet vllam Soti responsum, Pontificium scilicet decretum intelligi, non de solemnem voti substantia, & ratione, sed de modo, ac formula: hoc enim manifestè pugnat cum ipsius Pontificis responso. Erat enim ab eo quæ situm, quod votum dici deberet solemnem, & ad matrimonium dirimendum efficax? Qui respondit: Nos attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta, presentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemnem, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemniter aut fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam alicuius Religionis approbatæ. Hactenus Pontifex. Vbi ex eo, quod solemnem voti ratio ex sola Ecclesiæ institutione constet, deducit, duplex solum esse solemnem votum, aut per sacri Ordinis susceptionem, aut professionem expressam, vel tacitam religionis approbatæ.

Si obijcias, ergo Bonifacii VIII. constitutio prædicta evertit sententiam. S. Thomæ, Alberti, Bonaventuræ, Richardi, Durandi, & aliorum veterum Theologorum, qui constanter docuerunt solemnem votum vi, & natura sua simplici differ-

re: quod solemnem in traditione consistat: simplex sola promissione constet. Quidam existimant Bonifacii VIII. decretum, cum prædicta veterum Theologorum sententia pugnare, & in hac parte Pontificiam constitutionem vim, & locum habere, non veterum Theologorum sententiam. Ego tamen nunquam adduci potui, ut crederem, Pontificium decretum in hac parte cum veterum Theologorum prædicta sententia pugnare: quoniam video veteres Theologos locutos fuisse de simplici voto, quod in futurum confertur, qualis est promissio, quæ quis vouet futurum in religionem ingressum, aut cum coniug promittit se post obitum alterius coniugis castitatem seruaturum: & hoc votum reuera est solum rei futuræ sponso, & promissio sua vi, & natura distincta à solemnem voto, quod in traditione consistit. Sed Pontifex loquitur de solemnem voto, ut differt à voto simplici, quod non in futurum confertur, sed traditionem habet, quæ quis se Deo consecrat, obligat, & mancipat vouendo perpetuam castitatem, paupertatem, & obedientiam.

Quare plerique Theologi, qui post editum sextum Decretalium librum vixere, vna cum Pontificii iuris peritis tradiderunt, voti solemnem rationem in sola Ecclesiæ institutione consistere: idque etiam docuerunt Herueus, Paludanus, & Caietanus S. Thomæ, magni alioqui discipuli: quamuis Sotus, & alij non idem sentiant.

Mihi igitur videtur solemnem voti rationem eam esse, quam Ecclesia constituit. Ea autem est duplex, nimirum expressa, vel tacita alicuius Religionis approbatæ, vel sacri Ordinis susceptio. Et proinde si quæsieris, quænam sit solemnem voti ratio, & substantia? Respondebo, eam esse, quam iuris Canonici auctoritas præscripsit. Sicut si quæras, quæ sit Testamèti, iurisiurandi, vel Matrimonij ratio solemnem. Dicam, eam esse, quam iuris scripti civilis, vel Canonici sanctio definiuit. Est igitur voti solemnitas, ut vno verbo concludam, aut Religionis approbatæ professio, aut sacri Ordinis susceptio. Ex quo etiam fit, ut voti solemnem effectus, vis, & potestas sit ex Ecclesiæ decreto, ut statim explicabo.

Tertiò queritur, An solemnem votum Castitatis à Monacho factum per se, aut vi, & natura sua, aut iure diuino dirimat Matrimonium postea contractum? Quod est quærare, An Religiosus, qui castitatem solemnem voto promittit, ratione voti præcisè, an ratione solemnem celebritatis, & formulæ fiat ad Matrimonium inhabilis? Quatuor sunt in hac questione sententiæ. Prima docet, per omne votum Castitatis etiam simplex, quo quis Deo se obligat ad Castitatem simpliciter seruandam, matrimonium postea contractum dirimi: quæ fuit veterum quorundam Canonici iuris interpretum sententia in cap. Rursus, qui Clerici, vel vouent. quam concludere illi conabantur, quia votum Castitatis per se directò cum matrimonio pugnat. Deinde, quia apud Deum tantam obligandi vim habet simplex votum, quantum solemnem. cap. Rursus, qui Clerici, vel vouentes. Accedit, quod is, qui votum simplex Castitatis emittit, suum corpus tradit, & consecrat Deo: ergo si uxori tradat, nulla erit traditio: quemadmodum si

quis



quis Cato donasset, quod Titio donatione traderat. Postremo, quia alioqui ratum, & firmum matrimonium contrahere vnus cum alio posset ea conditione, vt perpetuò Castitatem seruaret; quod tanquam falsum rejicit Theologorum sententia communis. Hæc opinio merito communi omnium consensu refellitur: neque enim quærimus, an votum Castitatis pugnet cum vsu coniugij, sed an pugnet cum vinculo coniugij? Secunda opinio docet, per solemne votum Castitatis à Monacho emissum vi, ac natura sua matrimonium postea subsecutum dissolui. Hoc in primis ea ratione conficiunt, quoniam solemne votum Castitatis Monachum Religioni tradit, & obligat; ac proinde ille alteri tradi nequit: quod si tradatur, nulla est traditio: sicut qui alicui est matrimonio coniunctus, nequit alteri copulari: aut quemadmodum, qui rem suam vni tradidit, alteri tradere non potest. Qui seipsum vni vendidit, nequit amplius se alteri vendere. Et idè seruus, qui domini est, infcio, vel inuito domino se religioni tradere iure non potest.

Deinde, Religiosus semel Deo cōsecratus non potest Religiosus esse desinere; quemadmodum, quod est Deo consecratum, nequit non esse tale; ac Religionis substantiæ, & naturæ intrinseca est Castitas, vt dicitur in c. Cum ad Monasterium, de statu Monachorum; ergo Religiosus quamdiu est talis, necessario est voto Castitatis adstrictus. Ad extremum, si sola Ecclesiæ auctoritate votum solemne Castitatis à Religioso factum, vim haberet matrimonium postea contractum dirimendi; inde fieret, vt sola auctoritate Ecclesiæ Matrimonium ratum, & nondum consummatum dissolui posset: nam si Ecclesia constituit, vt per votum solemne Monachi, Matrimonium postea subsecutum sit irritum, & inane; efficere quoque sua auctoritate poterit, vt Matrimonium ratum, quod non est consummatum, dirimatur: ac Theologi omnes communi cōsensu docuerunt, Matrimonium ratum, non consummatum, per Religionis professionem iure diuino, non humano dissolui, nec posse vlla auctoritate Pontificia rescindi. Tertia sententia eorum est, qui censent, per solemne votum Religiosi Matrimonium postea contractum dirimi sola Ecclesiæ auctoritate: quæ sententia colligi videtur ex cap. Quod votum, de voto, & voti redempt. in 6. Vbi Pontifex rogatus quodnam votum vim haberet Matrimonium postea sequutum dissoluendi? Respondit, voti solemnitate, quod attinet ad Matrimonium dirimendum ex sola Ecclesiæ constitutione esse inuentam. Hanc sententiam omnes Canonici iuris consulti tuerunt, & inter Theologos Henricus, Scotus, Herueus, Paludanus, Caietanus, Medina, Palacius: inter Summistas, Alsenus, Angelus, Rosella locis supra citatis. Quarta sententia defendit, eiusmodi votum non vi sua, nec iure Canonico, sed diuino vim habere matrimonium dissoluendi contractum. Ita sentit Almainus, eo argumento permotus; quoniam vir, & scemina matrimonio coniuncti possunt Religionem solemni voto profiteri; nec propterea matrimonij vinculum dissoluitur: ergo, inquit, nec ratione voti, nec ratione solemnitate dirimitur matrimonium contractum: & sicut matrimonium præcedens per

votum solemne postea subsecuens non dissoluitur, ita nec votum solemne præcedens vim habet subsecuens matrimonium dirimendi: nam per se nihil refert votum sit prius matrimonio, an posterius, si vi voti, aut solemnitate matrimonium dissoluit. Quare cōsequitur, ait Almainus in tract. de potestate Ecclesiæ, cap. 15. vt solum iure diuino vim habeat dirimendi: quo iure matrimonium ratum nondum cōsummatum per Religionis professionem dissoluitur, cōsummatum verò nequaquam. Si autem post votum Religionis solemni professione factum, matrimonium cōtrahatur, iure diuino irritum est, & inane: hoc tamen postremo loco dictum ille non probat.

Mihi tertia sententia verissima apparet, quæ docet matrimonium post votum Religionis solemne contractum, nec dirimi ratione voti præcisè, nec iure naturali, nec iure diuino, sed Canonico: eo quod Ecclesia sancierit, vt qui Religionem professi sunt, habiles, & idonei ad matrimonium amplius non sint. Sicut enim cum voto solemni Religionis non pugnat, vt coniuges mutuo consensu Religionem profiteantur, nec antecedens matrimonij consummati vinculum, Religionis professione dirimitur: ita nec cum solemni voto per se pugnat, vt si vir, & scemina sese matrimonio coniugant, matrimonium valeat, & iure subsistat: ita vt sint reuera religiosi, & coniuges, non quidem vsu coniugij; hic enim vbi vi, & natura sua cum Religiosi iure pugnat, sed solo coniugij vinculo. Si dicas, fieri non potest, vt cum quis postquam seipsum vni tradidit, tradit se alteri, traditio secunda vim, & locum habeat, cum per se cum prima pugnet. Respondeo, vt paulò ante dixi, si veraque traditio ex iustitia descendit, aut in iustitia vim habet, pugnat secundam cum prima, & secundam iure naturali irritam esse, si prima fuerit rata, & firma. At traditio, quam votum solemne castitatis continet, si Ecclesiæ decretum remoueas, ex religione existit, qua quis se Deo obligat, tradit, & consecrat: quare hæc non pugnat per se cum alia traditione, quæ ex iustitia descendit. Per iustitiam rerum dominia transferuntur, conferuntur, amittuntur, per religionem non item. Nam quemadmodum in coniugibus Religionem professis, durante, & constante matrimonij vinculo vterque habet dominium, & potestatem corporis alterius, non tamen vltimè sic remota Ecclesiæ Constitutione vir, & scemina voto solemni Castitatis adstricti, essent ad matrimonium habiles, vterque acquirente potestatem corporis alterius, licet non vltimè. Item vnus coniux post diuortium legitima iudicis Ecclesiastici sententia factum ob adulterium, quod alter admisit, iure religionem ingreditur, & proficitur. cap. Agathosa. 27. questio. 2. & tamen vinculum matrimonij consummati non soluitur; ergo simul est quis verè coniux, quod attinet ad coniugij vinculum, non vltimè, & reuera religiosus.

Obijcies; Saltem ratione solemnitis promissionis votum habere vim matrimonium dirimendi. At contra hoc facit, quia Ecclesia statuere potest ne vota, quæ in Religionibus approbata emittuntur, Matrimonium dirimant contractum. Insuper: Tunc vota desinent esse solemnia: Con-

tra: po-



tra-ponamus nihil solemnī voti rationi, qua nūc emittuntur, detrahi, sed solum huiusmodi effectum impediri, quare desinent quidem esse solemnīa, quod pertinet ad effectum matrimonij dirimendi; nihil tamē amittent eorum, quæ nunc habent. Vnde quidam Catholici, inter quos est Medina libro quarto, de continen. sacrorum homin. cap. 31. colligunt, ex prædictis perspicī, qua ratione accipiendā sint ea, quæ apud veteres Patres leguntur, quæque hæretici Catholicis obijciunt. Nam Cyprianus, vt constat ex epistol. 11. quæ est ad Pomponium, rogatus de Virginibus quibusdam, quæ nupsent post votum Castitatis, quid eas facere oporteret, respondit, oportere eas poenitentiam publicam agere, vt cæteræ Virgines ab huiusmodi crimine deterreantur: idem adiecit, eas quidem peccare grauissimè; non tamen præcipit, vt à maritis separentur. Immo, inquit, si huiusmodi Virgines dixerint, se in eo quod promiserunt, perseverare non posse; & ideo turpiter vitam, melius esse, vt nubant, quam vt cæteris omnibus scandalum præbeant. Planè quoque Augustinus libr. de bono viduitatis, cap. 9. 10. & 11. probat falsam esse eorum sententiam, qui dicebant nō esse vera coniugia earum Virginum, quæ post votū continentæ nuptias contrahebant. Et Hieronymus de Virginibus scribens in epist. ad Demetriadem, ad finem. Si continere, inquit, non possunt, dicendum est illis, vt nubant. Athanasius in epist. ad Dracontium; & vidimus, ait, Episcopos sine vxoribus, & Monachos patres filiorum factos. In Concilio quoque Ancyrano canon. 19. & refertur capit. Quorquor. 27. question. prim. & in Concil. Elibertino canon. 13. & habetur capit. Virgines. 27. questione prima. & in Concil. Chalcedon. canon. 15. vt dicitur in cap. Si qua virgo. 27. question. 1. pœna irrogatur sacratis Virginibus, quæ post votum continentæ ad nuptias transferunt; non tamen præcipitur, vt coniugia dirimantur. Et quamuis Catholicorum multi hæreticis hæc opponentibus respondere soleant; hæc omnia intelligi de Virginibus simplici Castitatis voto non solemnī adstrictis: alij tamen censent non improbabiler, Patres, & Concilia loqui, tū de Virginibus sacro velo consecratis, tum de Monachis. Quare videtur, inquit, eo tempore, aut nōtum esse editam Ecclesiæ sanctionem, aut saltem vsū non vbiq; receptam, vt voto Religionis solemnī matrimonium subsequens dissolueretur.

Porro ad id, quod obijciunt ex cap. Cum ad monasterium, de statu Monachorum. Respondeo, religioni, & monachali regulæ, & vitæ annexam esse castitatem, quia cum natura religionis pugnat vsus coniugij, & religio sua natura postulat votum Castitatis, quo se quis abdicat vsu conubij, non quo se abdicet vinculo, & dominio coniugij; nam vt dixi, coniuges post matrimonium consummatum possunt mutuo consensu religionem profiteri; nec tamen vinculum matrimonij consummati dissoluitur; ergo illi, & erunt coniuges, quod attinet ad vinculum, & dominium, & erunt religiosi professi, qui se vsu coniugij in perpetuum penitus abdicarunt. Si iterum obijcias, votum solemnē in professione religionis emissum distingui, vt habet cōmunis Theologorum opinio, à solemnī voto, quod fit in susceptione sacrorū ordinum, quod hoc est tantum sacratis Ordinibus

annexum statuto Ecclesiæ; illud verò est, cum ipsa religionis natura, & conditione coniunctum? Respondeo, ideo differre, quia cum sacratis Ordinibus, nec vinculum, nec vsus coniugij pugnat per se, vel iure diuino, sed iure Canonico: at cum religione, quæ absolutè, & simpliciter religio est, licet per se non pugnet matrimonij vinculum; pugnat tamen vsus coniugij, & iure Canonico pugnat vinculum matrimonij, quod post solemnem professionem Religionis contrahitur.

Quartò quæritur, Quo iure solemnē votum Paupertatis, quod in professione Religionis emittitur, Monachum faciat inhabilem ad bonorum suorum dominium, vel retinendum, vel in posterum acquirendum? Respondeo, quemadmodum superiori quæstione de voto Castitatis solemnī fuere variz sententiæ, sic etiam de voto Paupertatis; quibusdam asserentibus eiusmodi vim voto Paupertatis inesse iure diuino; alijs ratione solemnītatē; alijs demum sola Ecclesiæ Constitutione: quorum opinio mihi valde probatur, vt quæ cum ipso iure civili, auctoritate Canonis comprobato magis conuenire videatur. Nam in Authent. De sanctis, Episcopis, collat. 9. §. Si qua mulier, sic decernitur: Si qua mulier, aut vir Monasticam vitam elegerit, & intrauerit Monasterium, liberis non extantibus, Monasterio, quod ingreditur, res eius competere iubemus. Sed si persona liberos habens, antequam de rebus suis inter eos disponat, & antequam legitimam filijs suis portionem depuerit; Monasterium intret, liceat ei postea inter eos diuidere legitimam portionem, nulli diminuto vriente, vel femisse; & quod eis non dedit Monasterio competet. Sed si omnem substantiam inter filios diuidere voluerit, sua persona filijs suis connumerata, partem sibi retineat, quæ Monasterio competere debeat: si post ingressum moriatur, antequam inter filios diuidat, filij legitimam portionem percipiant, reliqua substantia Monasterio competente. Hactenus illa lex. Vnde est aliquorum opinio, iure communi antiquo, Monachum filijs carentem, dominij, & proprietatis expertem esse, habentem tamen liberos non item; licet iure, quo nunc vtimur, Religiosus professus, quicumque sit ille, dominij, & proprietatis capax non sit. Cui sententiæ adstipulari videtur Gratianus 19. questione tertia, §. Nunc autem, vbi ait: Nunc autem cum Monachus factus esset, hoc ipso res suas omnes obtulisse videatur: Si prius testatus non sit, exinde iudicio eius, cessante lege, disponitur. Vt si liberos haberet, in quos aut nihil, aut minus legitima portio quomodo, donandi titulo contulerit, eatenus substantia Monasterij destituta & extrahatur, ne quid contingat circa liberos iniquam. Hæc ibi Gratianus. Vnde probabiliter colligi videtur, eo tempore, quo lex est ab Imperatore sancita, licuisse Monacho post solemnē Religionis votum, inter filios testamentum cōficere, & inter eos in priori vitæ statu relictos, suorum bonorum substantiam diuidere. Nec his obstat, Constitutionem hanc esse iuris ciuili legis, cuius non est quicquam de Monachis definire: nam iure etiam Canonico lex eadem comprobatur, in capit. Si qua mulier. 19. questione. 3. Vnde quamuis vim non habeat, vt est lex imperatoria & ciuili; habet tamen, vt est iure Canonico confirmata. Nec illud etiam officit, quod quidam asserunt, non fieri hic sermonem de Monachis, sed de



cho professo; cum ibi solummodo dicatur: *Si qua mulier, aut vir Monasticam vitam elegerit, & intraverit Monasterium.* Nam tamen aliqui, ut Decius in ea *Authent. num. 4.* & Iason in *L. Si quis heredem. num. 12. c. de instit. & substitut.* opinentur hanc Constitutionem solum de Nouitijs intelligi: communi tamē sententia inter vtriusq; iuris Doctores receptum est, eam intelligi de Monacho professo, cui ipsa lege permittitur res suas inter suos filios diuidere, si nihil de eis ante professionē constituerat. Et nomine ingressus significari Monastica vitæ professionem, docent Barth. Paul. Salycet. in eadem *Authent. Fulgof. & Alex. in L. Si quis heredem. citata. n. 10.* Barbat. *Clemen. 3. de elect. & consil. 38. lib. 3. Felin. in cap. Cum deputati. numer. 1. de iudic. Angel. verbo, Religiosus. q. 2. 4.* Paludanus, quem citat, & sequitur Syluest. *Religio. 3. q. 2. 4.* Huc accedit id, quod sæpe iam dixi, in cap. *Quod votum, De voto, & voti redempt. in 6. generatim dici, solemnitate voti esse sola Ecclesiæ Constitutione inuentam: ac voti solemnitas, quod in professione Religionis emittitur, effectus est, ut matrimonium non solum contrahendum impediatur, sed etiam dirimatur contractum: ergo similiter ex Constitutione Ecclesiæ ea vis in voto Paupertatis existet, ut non solum quempiam ab usu facultatū, & rerum suarum impediatur, atque prohibeat: sed etiam ei dominium, & proprietatem prorsus adimat, & detrahat.*

Quintò queritur, Quo iure Monachus professus testamentum condere prohibeatur? Quod est querere, An ratione voti præcisè, an ratione traditionis, qua Monachus seipsum religioni tradidit, an iure Religionis, an verò sola canonica lege hoc sit ei interdictum? Ex his, quæ hæctenus diximus: colligitur, professum Monachum esse inhabilem ad testamentum faciendum solo Canonico iure, non autē naturali, & diuino, hoc est, nõ ratione voti nec Religionis, aut publicæ promissionis, aut traditionis. In *Authent. Ingressi, C. De sacrosanctis Ecclesijs sancitur: Ingressi Monasteria, ipso ingressu se suaque dedicant Deo.* Nec ergo de his testantur. Et *Authent. de Monachis §. Illud quoque. Decernimus, qui in Monasterium inuolare voluerit, antequam Monasterium ingrediatur, licentiam habere suis vii, quo voluerit, modo. Ingressi enim namq; simul sequuntur omnino res, licet non expressim, qui introduxerit eas, dixerit: & non perit dominus earum vltimus vilo modo. Item 19. quest. 3. c. Quia ingrediensibus, ex Gregorio habetur: Quia ingrediensibus Monasterium conseruendi gratia, vltimus nulla sit testandi licentia, sed vi res eorū, eiusdem Monasterij sint, aperta legis definitione decretum est. Et cap. Perlatum est. eadem causa, & questione, ex eodem Gregorio dicitur: Perlatum est ad nos, Petronillam nomine, de prouincia Lucania progenitam, per exhortationem Agnellī Episcopi fuisse conuersam, resque suas omnes, quas habere poterat, licet sibi inire potuissent competere, tamen eisdem Monasterio, in quod ingressa est, etiam specialiter donationis titulo contulisse. Hæc ex vtroque iure, Ciuili, & Canonico. Quare, sicut iure Canonico Religiosus professus testari non potest: sic etiam testamentum ante ingressum in Religionem, vel in ipsa probatione factum ab eimissa professione, reuocare amplius, aut rumpere nequit. Quamuis enim non desint, qui putent: testamentum vtcunq; factum Religionis professione rumpi, tanquam agnatione, & natiuitate Posthumi. *L. Posthumorū. ff. De iustis ruptis, & irritis fa-**

cto testamento, eo quòd Monasterium hereditatis, & bonorum capax loco Posthumi habeatur in *Authent. Nisi ingressi. C. Ad Senatū consulum Trebellianum: & proinde secundum horum sententiā, ne testamentum rumpatur, præterito Monasterio, sicut rumpitur agnatione, siue natiuitate Posthumi, oportet portionē legitimam Monasterio relinquere iure institutionis, quam opinionem communem esse testantur Imola, Iason, Albericus, quos citat Couar. *de testamen. cap. 2. num. 5.* Attamen contraria sententia, ut aiunt Innocen. Hostiensis, Antonius Butrius, Abbas, quos citant, & sequuntur Nauarr. in comment. 2. de regularibus, num. 51. Couar. *de testamen. ca. 2. num. 6.* Angel. verbo *Religiosus. nu. 55.* Iulius Clarus lib. 3. *recept. sent. §. Testamentum. quest. 28.* communi cōsensu recepta est. Sic enim sentiunt Baldus, Paulus, Decius, Arectinus, Salycet. Iason, & alij, quos citant, & sequuntur prædicti recentiores. Sunt rursus, qui sentiant, quando sine vlla Religionis cogitatione quis testamentum condiderit ante ingressum in eam, secuta professione reuocari, & rumpi, quasi ex noua voluntate, qua Religionem elegit, quam antea non conceperat. Si verò Religionis cogitatione, & studio fecerit, tunc minimè rescindi, eo quòd noua voluntas non accesserit. Sic opinatur Bartholus.*

Communis tamē opinio est, vtridem Couarruias tradidit, testamentum vtrumque factum, secuta professione minimè rumpi, & reuocari. Sic Antonius, Abbas, Felinus, & sic etiam iuniores, Nauarrus, Angelus, & Couarruias, Iulius Clarus locis citatis, nisi Religiosus ante professionem expressim dixisset: Me, meaque omnia offero Monasterio, censetur enim testamentum reuocare, ut aiunt prædicti Doctores. Imò etiam si testamentū sit conditum ab eo, qui est Religionem ingressus, sed eam nondum profectus, siue vilo Abbatis consensu iure communi esse ratum, & firmum: quia Nouitius dum in probatione versatur, sui iuris est, ac facultatum, rerumq; suarum dominus: nec vilo iure scripto prohibetur testamentum facere. Ex his perspicuum esse potest, factò testamento, quòd per professionem nec reuocatur, nec rumpitur, statim ab emissa professione hæreditaria bona ad institutum heredem pertinere, si Monasterium capax bonorum non sit. Alioqui quamdiu Monachus viuat, vsus fructus ad Monasterium spectat: proprietatis verò, & dominium ad heredem institutum; & post obitum Monachi vsusfructus cum proprietate, & dominio consolidatur.

Obijcies id, quod habetur in cap. *Si qua mulier. 19. quest. 3.* licere Monacho, qui liberos habet, & in Monasterium ingressus, nihil de suis bonis constituit, inter eos postea diuidere, legitima portione cuique relicta, & quod eis non dedit, Monasterio competere. Respondet Archidiaconus in eo capite, cuius sententia communi consensu recipitur, Monachum tunc non testari: sed inter filios distribuere: quemadmodum etiam Arbitrari, & Iudex inter plures bona diuidunt. Alij tamen asserunt, Monachum professum Religionem capax bonorum immobilium, posse testamentum facere, & inter liberos bona diuidere: & hoc esse, quod Authentica citata decernit, & proinde ius habere non quidem simpliciter



ter testamentum condendi, sed inter filios: de qua re paulò ante dixi.

Deinde obijciat, *cap. Non liceat. 19. q. 3. vbi dicitur: Non liceat parentibus liberos, vel liberis parentes ab hereditate sua repellere Monachos factos: quoniam dum Monachi fuerant, in causam, & crimine ingrati animi inciderint; ergo Monachus hereditatis capax est.* Respondeo, hereditatem non ad Monachum, sed ad Monasterium bonorum capax pertinere: & proinde vel tantquam Arbitrator, & Iudex, vel nomine Monasterij bona inter filios distribuit. Aut si aliorum sequi sententiam malimus, dicemus Monachum iure communi antiquo, testamentum simpliciter facere non posse, inter filios tamen posse.

Sextò queritur, Quo iure per solemne votum Obedientiæ, Monachi, aut Religiosæ personæ transfeantur in ius, & potestatem Monasterij, aut Superiorum? Animaduertendum est, emissã professione, Monachum, aut Religiosum traditum esse, & additum Religioni; ita ut Religio ius in personam eius acquisierit: quod ius consistit in hoc, ut si Religiosus vestem, habitumque dimiserit, & à Religione discesserit ad priorem vitæ statum reuerfus, tanquam apostata, hoc est, Religionis susceptæ desertor, puniri iure queat, vbi cumque fuerit, repeti, capi, & si necesse sit vinculus ad Religionem reduci, & in carcerem etiam trudi. Vnde in cap. *Periculososa, ne Clerici, vel Monachi in 6. sancitur: Periculososa Religiosus enagandi materia subtrahatur, districte inhiibemus, ne de cetero aliquis quamcumque religionem tacite, vel expresse professus in scholis, vel alibi temerè habitum religionis sue dimittat: nec accedat ad quæuis studia literarum, nisi à suo Prælato cum consilio sui Conuentus, vel maioris partis eiusdem, sibi eisdem ad studia licentia concedatur. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis sententiam incurrat in ipso facto. Hæc ibi habentur.*

Queritur nunc, An religionum Præfecti hoc ius in Monachum habeant ratione voti, an ratione publicæ promissionis, & traditionis; an verò solum iure Canonico? Et ex hypothesi fingamus nullam excommunicationis sententiam iure Canonico fuisse irrogatam his, qui à Religione voto solemni suscepta deficiunt? Respondeo, negari non posse, penes religionum Præfectos ratione professionis expressæ, vel tacitæ ius esse, & potestatem animaduertendi in Monachum religionis desertorè, eo quòd per professionem Monachus religioni promissit obedientiã, qua ei se tradidit, addidit, & mancipavit. Vnde fit, ut sicut Religiosus habet ius exigendi alimenta à religione, sic religio ius habeat in eius operas, artem, industriam, laborem, & ministerium: nec religio potest Monachum sine iusta, & debita causa dimittere, aut eijcere, nec Monachus religionem deserere. Ac quemadmodum Dux, & Imperator exercitus milites Sacramento iuratos, militiæ desertores capit, & vinculos reuocat, & transfugas punit; & Ecclesia, fidei, & religionis per Baptismum susceptæ desertores pœnis debitis plectit, ac vindicet, & maritus uxorem fugitiuam iure suo repetit, ac reducit in domum: sic etiam religio ius habet reuocandi fugitiuos Monachos, desertoresque puniendi, eo quòd sese illi per obedientiam promissam obligauerint, addixerint, atque deuouerint.

Quæres, An religio hoc ius habeat ratione voti, an ratione professionis, an ratione publicæ promissionis, & traditionis? Respondeo, habere ratione fidei per votum datæ, & acceptæ; ac proinde ratione publicæ traditionis, qua se Monachus tradidit religioni per tria vota, siue solemnia, siue simplicia, quæ ad religionis substantiam spectant. Nam Monachus religioni suam fidem obstringit, & religio acceptam habet: Religio item fide data sese Monacho, vel ex toro, vel ex parte obligavit, & Monachus eam ratam habuit. Quod verò Monachus vestem, & habitum temerè dimittens, aut à religione recedens, in excommunicationem incurrat, iuris Canonici pœna est; quæ ut ex c. paulò ante citato apparet, non irrogatur, nisi Monachis religionem expressè, vel tacitè professis.

Septimò queritur, An per se voti in religione solemnis sit maius, & arctius vinculum, quàm simplicis? Respondent quidam ex iam dictis, per se quidem non esse, sed Ecclesiæ cõstitutione, qua factum est, ut solemne religionis votum nuptias ratas non consummatas dissoluat: non item simplex: Deinde, votum solemne dirimit matrimonium postea contractum, quod tamen simplex non dirimit. Item in cap. *Qui post votum, De regularibus in 6. Votum simplex Religionis etiam arctioris, soluitur per solemne votum, & promissionem religionis laxioris: per simplex non item. Postremo, vota omnia, quæ quis facit extra religionem in seculo, finiuntur, & desinunt per solemne votum religionis; non tamen per simplex. Existimò dicendum votum simplex esse duplex: Vnum, quod est rei futuræ promissio, & sponso: Alterum, quo rem præsentem vouemus: in hoc continetur traditio, in illo non item. Per hoc esse, & fieri potest aliquis verè, & propriè religiosus, ut ostendam inferius, per illud minime. Et hoc modo intelligitur, quod docet s. Thom. 2. 2. quæst. 189. artic. 2. ad primum, vbi ait: duplex est votum religionis, vnum solemne, quod hominem facit Monachum, vel Religiosum: aliud est votum simplex, ex quo aliquis non fit Monachus, vel Religiosus, sed solum obligatur ad religionis ingressum. Sic ille. Loquitur reuera de voto simplici, quod est futuri in religionem ingressus promissio, non de eo, quo quis promittit perpetuam Castitatem, Paupertatem, Obedientiam in aliqua religione approbata. Et hinc planè liquet votum simplex, si sola sit futuri in religionem ingressus sponso, per se minoris esse vinculi, quàm solemne; quia simplex est sola rei futuræ promissio: solemne verò, est rei ipsius, personæque traditio. At votum simplex, quod in præsens collatum, Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ promissio est, non per se, sed Ecclesiæ instituto vim minorem habet, quàm solemne: & hoc argumenta in initio proposita concludunt.*

Octauò queritur, An votum simplex religionis specie differat à solemni? Respondeo ex paulò ante dictis, quicquid tradiderit Caietanus, votum simplex religionis, quod in futurum concipitur, specie à solemni distingui; siquidem simplex sola est promissio futuri in religionem ingressus; solemne verò rei, & personæ etiam traditio. Si verò votum simplex in præsens conferratur, specie à solemni non differt, quoniam Ec-

*Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 7. versum ex- de respons. ad 1.*



clis tantum instituto distinguitur: at Ecclesia rei naturam non mutat, sed vim, & robur adiungit.

Nono queritur, An tantum sint tria vota religionis solemnia? Durand. in 4. dist. 38. quest. 2. docet, simplex votum a solemnibus distingui in hoc, quod solemnne votum in triplici tantum materia consistit, Castitatis, Paupertatis & Obedientiae; cum tamen simplex per omnem materiam vegetur. Certè hæc Durandi sententia, nisi mitius exponatur, cum veritate, & ratione non congruit. Nam licet iure communi antiquo, quod religionum instituta seruant, tantummodo sint tria vota solemnia, in quem sensum nos Durandi opinionem accipimus; nouo tamen iure nihil impedit, quin vota solemnia in alijs quoque materijs versentur. In societate nostra, vt ex eius Constitutionibus constat, quatuor vota solemnia Professi faciunt, dum solemnne professione pollicentur, Obedientiam, Paupertatem, Castitatem, & specialem aliam Romano Pontifici in missionibus obedientiam. Deinde, quid impedit, quominus Carthusienses Monachi solemnne votum emittant abstinendi a carnibus, quod votum nunc ex lege, institutoque seruant? Quid item obest, quin Minorum religio quartum solemnne votum emittat abstinendi perpetuè a carnibus, ovis, lacte, & caseo? Nam Palacius in 4. dist. 38. dist. 2. testatur: Minimos facere quartum votum solemnne, quo promittunt se nunquam vsuros, nisi cibis quadragesimalibus; & idem insinuat Nauarrus. consil. com. 1. de regularibus, consil. 10. eo quòd dum professionem emittunt, vnà cum alijs tribus votis solemnibus, quartum huiusmodi votum faciunt. Postremo, quid obstat, quo minus religio instituat, in qua fiat quartum votum solemnne de militando contra fidei Catholicae hostes, aut de in seruendo pauperibus, & aegrotis in hospitali domo, & locis causa pietatis extructis.

At, inquit, si in omni materia votum solemnne versari potest, quòdnam votum igitur solemnne vocabitur? Respondet, votum solemnne esse, & dici sola Ecclesie constitutione; quare duplex est tantum generaliter solemnne votum, vnum per professionem expressam, vel tacitam Religionis approbata; alterum per sacrorum Ordinum susceptionem. Vtrumque est solemnne, quia coniunctum cum solemnne professione Religionis, aut facti Ordinis susceptione. Deinde, votum solemnne Religionis iure communi est tantum triplex, iuxta triplicem materiam, in qua solemnne professio fit. Iure tamen nouo potest Ecclesia constituere, vt sint plura pro varietate materiae. Nam dum solemnne celebritate professio Religionis emittitur, possunt plura alia sponderi, quæ tantum solemnne vota Ecclesia probet, rata, & accepta habeat.

### Caput VII.

*Quid potestatis habeat Romanus Pontifex in solemnibus votis Religionis.*

PRIMO queritur, An Monachus auctoritate Romani Pontificis absolui queat a voto Castitatis solemnne? Duæ sunt opiniones: quarum

prima negat, quam veteres Theologi tueri videntur. Altissiod. in sum. libr. 3. tract. 28. cap. 1. quest. 2. Albert. 4. dist. 38. art. 16. & 18. S. Thomas, 2. 2. quest. 88. artic. 11. Et Glossa in cap. cum ad Monasterium, de statu Monachorum. & inter iuniores Sorus, libr. de iust. 7. quest. 4. artic. 2. Syluester, votum, 4. quest. 5. Tabien. dispensatio, questio. 7. Armil. dispensatio, numer. 12. Et huius opinionis patronum esse Sancti Thomam, recentiores eius discipuli, non veteres continent. Auctores huius sententiae quidam eo argumento mouentur, quòd continentie perpetuae tale, tantumque bonum sit, vt nullo alio bono comensari queat, iuxta illud Ecclesiastici: omnis ponderatio non est digna continentis animæ.

Alij verò ea ratione, quòd solemnne votum quoddam traditione consistit, quæ se homo sponte Deo offert ad castimoniam perpetuè seruandam. Porro alij, quòd votum solemnne in consecratione consistat, quæ Deo sese Monachus consecrat: & quòd Deo semel dicatum est, in profanos vsus conuerti iure non potest. Secunda sententia affirmat posse: fuitque Richardi in 4. dist. 38. artic. 9. questio. 1. ad 4. 5. & 6. Bonauent. 4. dist. 38. artic. 2. quest. 3. Scot. 4. dist. 38. quest. 1. Henric. quodlib. 5. quest. 28. Palud. 4. dist. 38. quest. 4. artic. 3. conclus. 11. Durand. in 4. dist. 38. quest. 2. Maior. 4. dist. 38. questio. 1. 4. Antonio, part. 2. sit. 11. cap. 2. §. 9. Caietan. 2. 2. quest. 88. artic. 11. Heruei, quodlib. 11. quest. 25. Angel. votum 4. quest. 5. Rosel. Papa, numer. 4. estque communi omnium Canonici iuris interpretum consensu recepta in cap. cum ad monasterium, de statu Monach. Quæ inde in primis concluditur, quòd in cap. quod votum, de voto, & voti redemptio, in 6. solemnitas voti sola Ecclesie constitutione est inuenta. Deinde, quia commune bonum privato est præferendum. Quid ergo, si contingat, vt Rex aliquis, Princepsue paganus ad Christi Religionem sese transferre velit, si foeminaam voto solemnne Deo dicatam, in vxorem duxerit, aut si ad communem Reipublice pacem conferuandam, vel ad ius in Regno succedendi tuendum, & opus sit, vt Monachus foeminaam in Matrimonium ducat, vt ex ea liberus suscipiat: Nonne videntur hæc tanta bona esse præferenda voto solemnne Castitatis? Accedit his, quòd huic de causis Pontifices Romani aliquando Monachos voto solemnne soluerint.

Legimus in vita B. Laurentij Iustiniani: Iustinianos omnes ad vnum, aut ferro, aut morbo extinctos fuisse præter aliquos senes, qui ad sobolem procreandam apti non erant: euenisse tantè, vt vnus tantum superesset adolescens Nicolaus nomine apud Monachos S. Nicolai. Tunc Vitalis Dux Venetus impetrauit ab Alexandro III. Pontifice Romano, vt liceret adolescenti Monacho soluere vinculum Religionis ad reparandum sobolem gentis: eique vnica filiam nomine Annam desponderet: iussitque fieri nuptias: donauit eos Dominus sex filijs masculis, & tribus foemellis: iactus tam prospera sobole Nicolaus, & Deo gratias agens voti veteris, & Religionis non immemor, edificato prius apud Amianum cenobio Virginum sub nomine S. Adriani, in quo Anna vxor ipsa quoque monasticam vitam cepit, ad monasterium reueris est: multis miraculis ambo claruerunt. Item, est etiam literis consignatum, ac proditum, Ramirum Aragonie Regem Monachum

factum,

Eclis. 11.



factum, cum pater eius sine prole decessisset, Romani Pontificis auctoritate è cœnobio educum purpura, & regio scepro ornatum vxorem duxisset, & ex ea filiam suscepisset.

Legimus quoque Cazimirum huius nominis primum Poloniæ Regem, Cluniacensem Monachum S. Benedicti Religionem professum, & Diaconum effectum, auctoritate Benedicti IX. vel Clementis II. Romani Pontificis à voto, & professione Monastica absolutum, ad Regnum maiorum suorum euectum, vxorem accepisse, & liberos procreasse. Constantia Rogerij regis Siciliae filia iam ferè quinquagenaria Cœlestini III. Romani Pontificis consensu, & indulgentia à cœnobio Panormitano educata, & vorua virginitate soluta Henrico VI. nupsit. Auctoritate itidem Clementis VII. multis religiosi equitibus professis in ordinibus Militaribus Calatrae, & Alcantaræ concessum est, vt si vellent, vxores acciperent, & tamen professi erant religionem: nec est, quod Sotus opponat sacros milites, quamuis religionem professos non esse verè simpliciter religiosos: nam etsi id locum habeat in ijs sacris militibus, qui castitatem solum conjugalem solemnem professione promittunt, cuiusmodi sunt sacri Milites S. Iacobi in Hispania, & S. Stephani sub magno Duce Florentino: verum non est in ijs, qui simpliciter castitatem profitentur, quales sunt sacri Milites S. Ioannis Hierosolymitani, & tales erant Milites, tunc temporis Calatrae, & Alcantaræ, licet nunc castitatem cõiugalem promittant.

At Syluester, Sotus, & alij hæc incerta esse testantur, aut hos non Monachos veteranos, sed tyrones, nõ religionem professos, sed Nouitios adhuc in probatione extitisse. Dicant illi quidquid volunt, certè negare non possunt, quod Annales, & Historiæ prodiderunt. Ramirus ne Nouitius erat? at fertur fuisse S. Facundi cœnobio præfectus, & Abbas, postea Pampellonenis præful, & post quadraginta annos in Tomericensi cœnobio exactos sobolis generandæ causa vxorem duxisse Romani Pontificis auctoritate compulsus. Num Cazimirus Nouitius, & tyro fuit? at S. Benedicti Regulam professus dicitur, & Diaconus factus, & professionis Monasticæ, & sacri Ordinis religionem solutus, ad Regnum prouectus, & vxorem duxit, & liberos procreauit. Incerta sunt hæc at teste Crom. lib. 4. de orig. & reb. gestis Polonorum scriptore diligentissimo, vera sunt, quæ dixi de Cazimiro; & pro hoc Romani Pontificis beneficio, agnoscent Poloni iniunctum: Primùm, vt de singulis capitibus, exceptis nobilibus, siue equitibus, & qui sacris addicti sunt, quotannis obolus vnus in lucernam perpetuam in æde S. Petri Romæ arsurâ pendatur: qui etiamnum S. Petri nummus vocatur. Deinde, præscriptum, vt omnes Poloni rotunda in morem Monachorum tonsura capillorum vtantur, nec infra auriculas ritu barbarico quicquam omnino comam promittat. Festis solemnibus dum sacra fiunt, vt singuli equites fasciam lineam candidam in modum stolæ, qua in sacris vtuntur Sacerdotes, atque Diaconi è collo suspensam ferant: quæ Pontificis præcepta non grauati Polonorum legati suscepere, & totam Poloniam Pontificis decretis obstrinxere. Hæc

Cromerus. An quæ in vita Beati Laurentij Iustiniani referuntur, falsa sunt, ita vt fidem facere non possint? An Constantia Nouitia fuit? An historia est incerta? sed teste Phazello rerum Sicularum scriptore libro 7. cap. 6. in decade posteriori, eam historiam Siculi Annales quotquot extant, commemorant, auctores plurimi tradunt, diplomata, & decreta Cœlestini, quæ hucusque in Archiuo Romano afferuntur, id habent. Nec est, quod Syluester, Sotus, & alij respondeant, id quidem fecisse Pontifices, sed potestate fecisse, non iure: & fecisse quidem probabilem doctorum sententiam sequutos, sed non definisse: & alia multa, ait Syluester, facere consueverunt, quæ faciunt quidem, & nõ sine aliorum offensione, at non iure. Ceterum hoc est argumenti vim fugere, non argumentum soluere, sed quidquid dicat ille, certè existimo id fecisse Pontifices, & in re tam graui, & seria Theologos, & vtriusque iuris peritos consilium dedisse.

Postremò, nihil est, quod impediatur, quominus solemnem votum Castitatis relaxari queat summi Pontificis potestate, si grauisima subsistat causa. Qualis est communis totius regni salus: alicuius Paganæ principis, vel regis ad Christi fidem conuersio. Non traditio, quia vt supra iam dixi, simplex etiam votum aliquando in traditione consistit, & tamen Pontificia auctoritate relaxatur, & soluitur: præsertim cum rei, vel personæ traditionem possit Pontifex in aliud longe melius bonum commutare: Non solemnem voti celebritas: Siquidem illa, sola Ecclesiæ constitutione est introducta: Non vis, & natura Religionis, quia licet ei per se conueniat Castitas, nihil tamen obstat, quominus Pontifex ex Monacho, possit facere non Monachum. Ergo quamuis Monachus, quamdiu talis est, nequeat non esse voto Castitatis adstrictus; potest tamen fieri non Monachus. Non obest item consecratio: nam tamen, quod est semel Deo consecratum, passim in communes vsus verti iure non possit, permanente consecrationis formula; potest tamen ob grauem aliquam causam amissa formula consecrationis. Calix enim cum consecrationis formam amittit, potest vendi, & emi, & locari ad vsus profanos ad iustam aliquam causam. Sic igitur religiosus, dum religiosus permanet, ita est ab vsu coniugij alienus, vt nulla humana potestate etiam Pontificia fieri queat, vt coniugio vtatur: pugnat enim cum natura religionis, coniugij vsus; & hoc est, quod dicitur in capit. Cum ad monasterium, De statu Monachorum. Sed Pontificia auctoritate, si iusta causa subsistat, fieri potest, vt Religiosus definat esse Religiosus, & sic coniux, & ex matrimonio filios procreet. Si obijcias, Sacerdos, vt potè consecratus, nequit non esse consecratus: ergo nec Religiosus potest definire esse Religiosus? Respondeo, Sacerdotem esse consecratum Deo per characterem diuinitus impressum, qui nunquam deletur: at Religiosus non est Religiosus effectus per vllum characterem, sed per professionem, aut vota tria religionis. Quare respondeo ad id, quod habetur in capit. Cum ad Monasterium, De statu Monachorum, vbi dicitur: Statui regulari adeo est annexa Castitas, vt contra eam, nec Summus Pontifex valeat licentiam indulgere? Respondeo, inquam,



ex communi omnium Pontificij iuris Doctorum, & aliorum, quos produximus, Theologorum sententia, solum hoc argumento concludi, Monachum, quamdiu talis est, voto Castitatis adstringi, nec esse, aut fieri posse, ut quis sit Monachus, aut Religiosus, quin sit votiua Castitate deuinctus. Nos autem contendimus, auctoritate Pontificia ex Monacho posse fieri non Monachum.

Deinde obijcitur: Matrimonium ratum, non consummatum solemnem voto Religionis dissoluitur: ergo si solemnem Religionis votum possit Pontificia auctoritate dirimi, inde duo efficerentur incommoda, vnum, ut quis possit duas uxores habere: nam fingamus, Titium, post matrimonium ratum non consummatum, ad Religionem volasse; & deinde Pontificia auctoritate iustis de causis solemnem Religionis voto solutum, aliam uxorem duxisse priori superstite. Alterum est, si solemnem Religionis votum, nuptias tantum contractas soluit, ac dirimit: ergo cum votum possit auctoritate Pontificia relaxari, eo ipso, poterit Pontifex matrimonium ratum non consummatum soluere, atque rescindere; quod tamen Theologi dissentunt. *Respondeo*, primum illud incommodum minime consequi: quia sicut matrimonium morte naturali coniugis soluitur, qui, si vivente adhuc coniuge reuocaretur ad vitam, possit aliud matrimonium inire, eo quod primum coniugium esset omnino solutum: sic etiam matrimonium ratum nondum perfectum, Religionis professione dirimitur. Si deinde ex Monacho sit non Monachus, poterit Pontificia auctoritate ex iustis causis, denud matrimonium iungi, cum primum matrimonium fuerit penitus extinctum. *Quod ad alterum incommodum spectat*, Canonici iuris interpretum, & quorundam Theologorum est probabilis opinio, matrimonium ratum modo ratum, auctoritate Pontificia posse dissolui, de quo alias.

*Tertio obijcitur*: Religionis status est coniugio praestantior, perfectior, & altior: at iure diuino videtur esse constitutum, ne quis ex altiori vitae statu ad inferiorem descendat. *Respondeo*, auctoritate Pontificia primum fieri, ut Titius, Verbi gratia, ex Monacho, fiat non Monachus, deinde verò sit, ut omni voto solutus ad nuptias transeat, uxorem ducat, sobolem procreet, ut sit aliquis in Regno successor. Quod autem ex altiori Monasticae vitae statu descendat, id fit ob communem Reipublicae salutem, quae priuatae utilitati, & commodis antefertur.

*Postremo obijcitur* S. Thomae auctoritatem, qui docet 2. 2. *question. 88. artic. 11.* Pontificem Romanum id facere non posse. *Respondeo*, ipsi S. Thomae ipsummet S. Thomam opponimus, qui *quarta. distinction. 38. question. 1. artic. 4. ad 3.* aperte ait, Papam posse dispensare in voto solemnem religionis. Nunquam persuadere mihi quis poterit, S. Thomam, hanc Romani Pontificis auctoritatem, & potestatem negasse, sed solum docuisse, ut recte Paluda, & Caieta. discipuli suum magistrum interpretati sunt, Pontificia auctoritate fieri non posse, ut quis sit religiosus, & matrimonij vsu simul vtatur, quod libenter fatemur: nam dum quis religiosus est, Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam ser-

uare debet, ut intrinseca religionis: aut Pontificia auctoritas facere potest, ut quis religioe solutus, & liber, & nuptias contrahat, & matrimonio vtatur, & res possideat, ut proprias, & illis tanquam proprijs vtatur.

*Secundo queritur*, An solemnem Paupertatis votum in Religione emissum, auctoritate Romani Pontificis aliquando relaxetur? *Questionem mouet id, quod nonnunquam accidit*. Monachus enim, vel Religiosus ad Cardinalis dignitatem euehitur, aut ad Episcopi munus eligitur: Episcopus autem, vel Cardinalis portionis sibi debet, ratione muneris, quo fungitur, dominium acquirit. Accedit, quod Episcopi aliquando sunt Comes, Marchiones, vel Duces; & proinde dominorum ad Dignitatem pertinentium. Adde, quod Episcopis saepe auctoritate Pontificia solet concedi facultas condendi testamentum. S. Thomas, cum eius fuerit sententiae, quae Romano Pontifici potestatem denegat, solemnem Religionis votum relaxandi in eo, qui reuera Religiosus semper est, sentit quoque; Monachum in Episcopum electum, nullum dominium, aut proprietatem acquirere, sed administratorem esse bonorum ad suam Ecclesiam pertinentium, nec fieri dominum portionis sibi debet, sed eam capere tanquam alimentum vitae, & functioni publicae necessarium. Ita ut, licet ceteri Episcopi omni voto Paupertatis soluti, domini sint fructuum ex bonis Ecclesiae, cui praesunt, sibi obuenientium: Episcopus tamen Monachus debet portionis tantummodo sit vsuarius, non dominus: vsus autem habet, ut alatur, cum ex bonis monasterij amplius sustentari nequeat. *Sotus vero lib. de iust. 10. question. 5. artic. 7.* tametsi neget solemnem votum Castitatis in Religione factum posse à Romano Pontifice dissolui: fatetur tamen relaxari posse votum Paupertatis, quoniam putat, Episcopos Monachos portionis sibi debet verè dominos esse, nec votum Paupertatis censet esse tam Religionis coniunctum, quam votum Castitatis. Sed certè in vno cum iure Canonico Sotus pugnat: in altero cum S. Thomae. *cap. enim. Cum ad monasterium. De statu monach. per spicue dicitur*, utrunque votum, Castitatis nempe, & Paupertatis, annexum esse Religionis, nec vlla est ratio, cur Castitas magis annexa dicatur, quam Paupertas. Aduersatur verò S. Thomae, cuius doctrinam proficitur, cum ille manifestè doceat. 2. 2. *q. 187. artic. 5. & 2. 2. q. 88. art. 11. ad 4.* Episcopos Monachos non esse dominos fructuum, quos percipiunt, sed eorum duntaxat vsus habere, ut commodè alantur, pro ratione status, & dignitatis. *Nauiar. verò in comment. 2. de regularib. numer. 17.* existimat solemnem votum Castitatis posse Pontificia auctoritate relaxari; cum tamen neget posse votum Paupertatis: non quia inficietur id simpliciter, sed quia causae grauisimae subesse possunt, cur Castitatis votum relaxari debet. Tales verò existere nequeunt, ob quas oporteat votum Paupertatis dissolui. Nā causa continere potest, quā Monachus Rex fiat, aut Princeps, & prolem ex matrimonio suscipiat: & pinde liber omnino à voto Castitatis sit: potest tamen esse Rex, vel Princeps, non autem Regni dominus, sed tantum administrator. Ea itē causa videtur esse legitima, cur Monachus creetur Episcopus, aut parochiali Ecclesiae



præficiatur; nec tamen sit dominus portionis sibi debita. Huc accedit, quod Monachus in Episcopu electus; & proinde Comes, Marchio, vel Dux, sicut ad vitam est administrator bonorum Ecclesie, cuius curam gerit; sic etiam Pontificis concessu potest testamentum in morte conficere. Nec enim eo quod testamentum condat, consequitur, ut sit dominus bonorum, quæ testamento relinquunt, sed administrator post obitum. Pari ratione si Monachus in Regem eligatur, uti liberos ex uxore, quam duxerit, gignat, & procreet, & Respublica legitimum habeat heredem, potest testamentum conficere, cum nihil aliud faciat, nisi quod Regni, aut Reipublice bona post obitum administrat, & non tantum ad vitam. Similiter etiam Monachus in Romanum Pontificem electus, non eo ipso Paupertatis voto soluitur, sed fit omnium bonorum Ecclesie administrator; imò etiam eorum, quæ ad temporalem Romanæ Ecclesie iurisdictionem spectant.

Mihi itaque videtur in primis simpliciter quidem solemne votum Paupertatis à Romano Pontifice relaxari posse, quoniam per se nihil est, cur debeat votum Castitatis dissolui potius, quam Paupertatis. Si obijcias id, quod 18. quest. 1. cap. Statutum, habetur: Statutum est, ut Monachus, quem electio Canonica à iugo Regulæ, & Monachalis professionis absoluit, & sacra ordinatio de Monacho Episcopum fecit, vel legitimus heres, paternam sibi hereditatem postea iure vendicandi possessionem habeat. Hic duo decernuntur. Vnū est, Monachum in Episcopum electum absolui à iugo Regulæ, & professionis Monachicæ: Alterum est, esse legitimum heredem, ac ut talem habere ius adeundi paternam hereditatem, & eam sibi vendicandi. His adde, quod qui altari servit, ius habet viuendi ex altari, ut docet Apostolus: Ergo Monachus ad Pontificiam dignitatem prouectus, ius habet portionem sibi debitam exigendi, & capiendi. Deinde, iure communi sancitum est, ut Clerici residentes, qui diuinis officijs intersunt, ius, & dominium sibi acquirant fructuum; ergo Monachus creatur Episcopus, fructus facit suos, si resideat, & suo munere fungatur. Præterea, suo nomine, & iure annuos redditus exigit, & percipit; & contra aduersarios litem mouentes, eos redditus tueretur, vendicat, atque recuperat. Postremò, Cardinalis, cuius sententia est communi consensu recepta, ait, in Clem. 2. §. Sed & tales de vita, & honest. Cleric. & Nauar. eum sequutus in Comment. 2. de regularib. num. 10. Religiosum ad Beneficium, aut Dignitatem euectum, tam latè, & amplè posse fructus distribuere, & expendere, quam potest Clericus secularis. Vnde quidam aiunt ideo Monachum factum Episcopum, voto Paupertatis absolui, quia pugnat cum Pontificio munere, & functione. Episcopus enim iure communi, redditus percipit ad se alèdum, & distribuendum in pauperes, ac alios pios vsus. Nam eadem ratione soluitur iugo Monachicæ professionis, ac cæteris Regulæ obseruantijs, quæ cum pastoralis munere, ordine, & gradu dignitatis, potestatis, & auctoritatis pugnant.

Profectò hæc quamuis nos non omnino conuincant, ut à S. Thomæ doctrina omni ex parte recedere cogamur: inficiari tamen non possumus, votum Paupertatis solemne aliqua ex parte rela-

xari, & solui, cum Monachus, aut Religiosus in Episcopum eligitur: nam etsi non, eo ipso, sit dominus fructuum sibi obuenientium, nec portionis sibi debita, quod cum S. Thoma contra Sotum ingenue confitemur: at eo ipso, quo est Monachus ad Episcopalem dignitatem prouectus, tanquam administrator suæ Ecclesie bona gubernat, & ad se commodè, & honestè sustentandum debitos fructus percipit, ut sui laboris, & operæ stipendia.

Ad id verò, quod Sotus obiecit ex cap. Statutum 18. q. 1. respondeo, ibi solum constitui, Monachum factum Episcopum, quicquid postea acquirit, Ecclesie, cui præest, acquirere, nò monasterio. Questio enim erat eo loco, An omnia bona, etià post Ecclesie præfecturam susceptam, ad monasterium pertinerent? Et definitum est minimè pertinere, sed ad Ecclesiam, cuius erat Episcopus. Cuius rei causa redditur, quod sit à iure Regulæ Monachicæ, & professionis absolutus; quasi dicat, Non sicut antea, monasterio acquirit: non tamen consequitur, ut sibi acquirat. Rursus, sicut antea hereditas paterna ad monasterium deueniret, si ei in monasterio commoranti contingeret; ita quicquid acquirit postquam ad Pontificium ordinem, & gradum ascendit iure hereditario, vel industria, vel arte, vel labore, vel donatione aliorum, vel ex contractu, vel quasi contractu, non sibi, sed Ecclesie, quam suscipit regendam, acquirit. Ita ut bona, quæ alioqui in Episcopo, nullam Religionis Regulam professio essent patrimonialia, vel quasi patrimonialia, in Episcopo Monacho inter bona Ecclesie numerentur.

Obijcias, sæpenumero Pontificem Romanum Episcopis etiam è monasterio eductis facultatem concedere, ut testamentum faciant, & sua bona arbitrati suo, in quos voluerint, vsus distribuunt? Respondeo, non propterea à voto Paupertatis absolui: quia facultas, quam habebant ad vitam administrandi bona, Romani Pontificis beneficio post mortem durat: Et cum ea bona in pios vsus impendi debuissent, eadem auctoritate distribuuntur in eos, quos Episcopi maluerint. Principis enim potestate, bona, quæ in pios communes vsus alioqui forent infumenda, in alios commutari, erogari, & impendi queunt. Porro tamen, cum monachus creatur Episcopus, voto Paupertatis minimè soluitur ex ea parte, quæ ad dominium, & proprietatem rei acquirendæ pertinet: videtur tamen solui aliqua ex parte: siquidem fructibus sibi obuenientibus uti potest, ut vult, eo ipso iure, quo est Episcopus factus.

Tertiò queritur, An solemne votum Obedientiæ in Religionis professione factum; possit Pontificia auctoritate relaxari; & an eo ipso, quo Monachus professus in Episcopum eligitur, voto Obedientiæ soluitur. Sanctus Thomas, & Albertus cum sentiant solemne Religionis votum à Pontifice Romano dissolui non posse: quamdiu quis, ut ego interpretor, Religiosus perseverat, siue quamdiu reuera Religiosus est, existimant Monachum, quando Episcopus creatur, Obedientiæ voto minimè solui, sed solum eximi ab Obedientiæ Religionis debita. Hoc autem non est Obedientiæ votum dissoluerè, sed eius materi-



am subtrahere: nam huic voto tacita subest conditio, in perpetuum parebo, si aliquid facere iussus fuerim, vel si Prefectum habuerim, cui debeam obedire. Deinde, cum Religiosus in totius Religionis Prepositum Generale eligitur, a voto Obedientie minimè liberatur, semper enim paratus est obedire, si Superior Prefectum habuerit, quem si non habeat, non ideo absoluitur a voto, sed ei Obedientie materia subtrahitur.

Sunt tamen, qui negent solemnem Castitatis votum relaxari posse, votum autem obedientie concedant, & reuera relaxari testantur, cum Monachus Romani Pontificis auctoritate, ad pastorale munus ascendit. Mihi verò probabilius videtur, posse quidem auctoritate Pontificis solemnem voto Obedientie Monachum solui: sed non eo ipso, quo Religiosus Episcopi dignitatem acquiritur, ab eo absoluitur. Vtrumque manifesta ratione probatur: quoniam tam intrinsecum est Religioni Obedientie votum, quam Castitatis, cap. Cum ad monasterium, De statu Monachorum: ergo si hoc potest Romanus Pontifex, illud quoque poterit. Monachus verò ad Episcopalem gradum, & honorem perveniens, nequaquam voto soluitur, sed eximitur a suorum Maiorum, & Superiorum potestate, & proinde voti materia cessat.

Quartò quæritur, An Monachus in Episcopum, vel Cardinalem electus, eo ipso, ab omnibus Religionis oneribus, & statutis absoluitur? Duo exant in iure Canonico capita, quæ videntur aliqua ex parte sibi inuicem aduersari. in cap. eum, De Monachis, 16. questione prim. dicitur: De Monachis, qui diu morantes in Monasterijs, si postea ad Clericatus ordines pervenerint, statim non debere eos a priori proposito discedere: at in cap. Statutum, 18. quæst. 1. definitur: Statutum est, ut Monachus, quem electio Canonica à iugo Regule Monasticæ absoluit, & sacra ordinatio è Monacho Episcopum facit, &c. Hæc duo S. Thomas in 2.2. quæstion. 185. articulo. 8. & 2.2. quæstion. 88. articulo. 11. ad 4. ita conciliat, dicens eum Episcopum minimè absolui ab ijs Religionis obseruantijs, quæ neque Pontificium munus impediunt, neque dedecent dignitatem, sed magis iuuat ad vitam perfectam, qualia sunt continentia, paupertas, habitus, quæ sunt Religionis insignia, à cæteris verò absolui, cuiusmodi sunt solitudo, clausura, silentium, vigilia, ieiunia, abstinentia, & aliæ similes vitæ asperitates, Caietan. tom. 1. tract. 25. questione secunda, docet Episcopum vi statuti, aut legis, & constitutionis non cogi seruare religionis statuta, sed solum ex honestate rationis, & debito morali, ut inquit ille. Idem tradit Sotus libro 10. de iust. quæstion. 5. articulo. 7. Caietanum in hac parte sequutus. Et ita interpretari debemus, quod scripserat Caietan. 2.2. quæstion. 185. articulo. 8. cum videtur oppositum asserere. Comuni itaque sententia receptum est, eum liberari, & eximi à iurisdictione, & potestate Præfectorum, & à pœnis, quæ irrogantur in Regulis, & Constitutionibus Monasticis, non tamen à tribus Religionis votis in professione factis.

Verum de habitu dubitari solet, an eo ipso, liber sit ab habitu Religionis deferendo. Glossa in cap. In noua, 16. quæstio. 7. ait: Monachus factus Canonicus, vel Episcopus habitum Monasticum non amittit. Et ca. Mo-

nachi. 16. quæstion. 1. idem docet, in cap. Clerici officia, De vita, & honestate Clericorum, constitutum est, ut Monachi in Episcopali gradu constituti, habitum Monasticum gestent, ac teneant. An verò si illum non deferant, ita ut videntur cõfueti, & Episcoporum propria veste, quæ est tunica lineæ, & candida exteriori imposta, in communicationem incurrant irrogatam in cap. Periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6. ijs, qui habitum Religionis temere dimittunt, auctores dubitant: & videntur affirmare, Syluest. relig. 7. q. 11. Cardin. in Clemen. 2. §. Sed & tales, de vita, & honestate Clericorum. Iason. in Authent. Ingressi. c. De sacrosanct. Eccles. & alij quidam, quos citat Couarruias, de testamen. cap. 2. numer. 18. At ipse Couarruias fatetur rem sibi esse dubiam. Sed probabilius existimo, eos non incurrere, eo quòd in eo cap. Excommunicatio feratur in eos, qui cum in Superiorum potestate sint, temere deponunt habitum: at non videtur temeraria habitus dimissio, si Episcopus habens ratione Pontificiæ dignitatis, ac muneris, eum deponat, cù sit à Superiorum cura, & potestate exemptus, & liber: at quia opposita sententia videtur esse communis, ne recedas ab ea, & ne nouam inducas. QVÆRES deinde, an si Monachus ratione Regulæ, Constitutionisue abstinere à carnibus debebat, factus Episcopus eadem lege teneatur? Quidam affirmant teneri, quia subtractio carni-um, Pontificium, quo fungitur, munus, nihil impedit, nec dignitatem dedecet; & cap. Carnem, De consecrat. dist. 5. dicitur: Carnem cuiquam Monacho, nec gustandi, nec sumendi est concessa licentia. Quòd si quis Monachus contra sanctionem Regulæ, vsuque veterem vesci carnibus presumpserit, sex mensium spatio retrahatur, & penitentia subiaceat. In Regula S. Benedicti Monachus vsu carniū interdicitur. Item in cap. De Monachis, 16. q. 1. sic habetur: Monachi, qui ad Clericatus ordinem pervenerunt, non debent à priori proposito discedere: ita sentit Hugo in ca. de Monachis, 16. q. 1. sic etiam Caietan. 2.2. q. 185. art. 8. Syluest. religio. 7. q. 11. Alijs verò, sicut & mihi probabilius videtur, eum esse ea lege solutum, eo quòd a pastorem dignitatem, & munus non deceat. Sic Glossa in prædicto cap. De Monachis, ca. 18. q. 1. Iason. in Authent. Ingressi. c. De sacrosanct. Eccles. Card. in Clemen. 2. §. Sed & tales, de vita, & honestate Clericorum. Turrecr. in c. De Monachis, 16. q. 1. & c. Monachi, 16. q. 1. præsertim si alij ex hoc, quòd à carnibus abstineat, offendantur. Vnde Archid. in cap. de Monachis, 16. q. 1. & Abb. in c. Clerici officia, nu. 18. de vit. & honestate Clericorum. Goffredum, & Hostiensem secuti sentiunt, quando citra aliorum offensionem ab elu carniū se continere non queat, eas edere debet: quòd si omnis aliorum offensio procul absit, vesci eis non licet. Absoluitur præterea ab onere, & penso diuini officij persoluendi, secundum formulam Regulæ Monasticæ præscriptam. Nam regere Ecclesiam debet iuxta morè, & vsu Clericorum, quibus præest. Sic Abbas, in prædicto cap. Clerici officia.

Rogabis insuper, an ratione Regulæ, Constitutionisue socium ex eodem Ordine asciscere, & habere cogatur, Caietan. 2.2. q. 185. articulo. 8. & Sot. lib. 10. de iust. q. 5. art. 7. eum ab huiusmodi obligatione absoluit: idem penitus sentiunt Ioan. Andr. in c. vlt. de Cappell. Monach. & c. Quod Dei iuramentum, de statu Monach. & Abb. in eodem ca. n. 8. Denuò interrogabis, an

si postea



si postea munus Pontificium deponat, debeat ad Monasterium reuerti? Quibusdam visum est, eum id facere debere: Siquidem communi est consensu receptum Monasticæ vitæ, & obligationis vincula, & onera, quæ Episcopi munus neque impediunt, neque dedecent, adhuc permanere. Deinde quia sic fecisse multi perhibentur immo Cælestinus Põtifex Romanus hoc nomine Quintus, Pontificatu deposito ad pristinum Religionis statum se retulit. Adde, quod si quispiam certi alicuius Cœnobij Abbas alteri præficiatur, & postea secundam Præfecturam dimittat, ad pristinum Monasterium redire compellitur. Postremò, qui post simplex Castitatis, vel Religionis votum sese ad Matrimonium confert, illudque perficit, mortua vxore, secundis nuptijs cogitur abstinere, & Castitatem seruare, aut Religiosæ vitæ Regulam profiteri. *cap. Ex parte. De conuer. conuig.*

## Caput VIII.

*Quo iure bona profitentium Monasticam vitam transeant in ius, & dominium Monasterij.*

**P**RIMO quæritur, An iure Canonico bona profitentium Religionem ad Monasterium pertineant? *Respondeo*, tum iure Canonico, tum Ciuili pertinere, quando Monasterium bonorum immobilium, siue stabilium capax est, cuiusmodi sunt cœnobija Religio forsi, qui Mendicantes non sunt, & quando is, qui professionem expressè, vel tacitè fecit, nihil de suis rebus, ac facultatibus stauerat, *Authen. Ingressi. C. de sacrosanctis Ecclesijs, & Authentica, Conuersationis. §. Illud, de Monachis.* quæ leges, quamuis ciuiles sint, locum, & vim habent, non vt ciuiles sunt, cum de Monachis iura constituant, quæ non possunt, sed vt Canonico iure confirmantur in *cap. Quia ingredientibus, & cap. Nunc autem. 19. q. 3.* quibus tamen legibus alicubi vsus, & consuetudo auctoritatem abrogauit. Nam receptum est more, quibusdam in locis, vt immobilia bona nõ ad Monasterium, sed ad propinquiores consanguineos transferantur, & mobilia ad Monasterium pertineant. Et teste Couarruua *de testamen. cap. 1. nu. 21. ad finem.* apud Gallos ex more abrogatæ sunt eiusmodi leges, & canones, apud quos vniuersa bona profitentium Religionem, nisi ex pacto Monasterio referuerentur, ad consanguineos propinquiores perueniunt. At Cœnobija Franciscanorum, Obseruatiuum, vt appellant, & Cappucinorum, cum rerum stabilium, & mobilium dominium non acquirant, bona profitentium, sibi non comparant. Conuentus aliorum Ordinum Mendicantium, qui res stabiles, & annuos redditus, iuratis perpetua communiter non possident, aut sibi nõ acquirunt, aut saltem vendere debent, quoniam retinere nequeunt: vendere autè oportet, cum primum cõmodè possunt: neq. enim temporis opportunitas ad vendendum excluditur.

Secundò quæritur, An vsusfructus, quem pater Religionem professus habet in bonis aduentitijs filijfamilias ratione patriæ potestatis, ad Monasterium trãseat? Dux sunt opinionones: Vna negat, sed statim, professione secuta vsusfructum finit, & ad proprietatem redire, & ad filium, asserit,

pertinere. Ita Cynus, Albericus, Salycetus, & Iason, & alij: quos refert, & sequitur Couarruuias in *ca. 2. nu. 8. de testamen.* Quod sic probant: Primum, quia professione Religionis, quam pater emittit, patria potestas extinguitur: ergo filius sui iuris, & potestatis efficitur. Deinde, quia pater Religionem professus mundo moritur, *ca. Placuit. 16. quest. 1.* & Religiosus non habet amplius velle, aut nolere, *cap. Si Religiosus, De elect. in 6.* Ergo cum filius factus sit sui iuris, & à patria potestate liber, suorum bonorum nõ solum proprietatem, sed vsusfructum etiam recuperat. Altera opinio affirmat ad Monasterium pertinere viuente patre. Sic Glossa, Baldus, Paulus, Decius: quam sententiam habent Innocentius, Hostiensis, Ioann. Andreas, Abbas, Imola, Syluester, & plerique iuniores: quos refert idem Couarruuias *cap. citato.* & Nauarr. in *comment. 2. de Regularibus, num. 38.* quamuis Bartolus doceat, dimidiam partem ad filium, alteram ad Monasterium pertinere. Ad colligunt primum, quia bona profitentium transeunt ad Monasterium: sed in bonis patri Religionem professi censetur vsusfructus, quem habet in bonis aduentitijs filij, ergo transit etiam ad Monasterium. Deinde, quamuis Religionem professus mudo mori dicatur: talis tamè mors ciuilis tantum est, non naturalis, & vsusfructus solum videtur naturali morte finiri. Hec opinio videtur æquitati magis consentanea, vt quæ magis Religionem iuuat, ac foueat: eam etiam sequitur Nauarr. in *comment. 2. de regularib. nu. 55. & nu. 38.* Inter omnes tamen conuenit vsusfructum, quem quis habet ex alia causa, præterquam ex patria potestate, ad Monasterium pertinere. Item, si pater in Monasterium detrudatur, nõ vt Monachus fiat, sed vt sua peccata per penitentiam expiet, communis est sententia, cum eo transire vsusfructum, quem habet in bonis filij, vt quamdiu est in Monasterio ad penitentiam agenda alatur ex eo, nam quamdiu viuunt, vsusfructum non amittit. Ex quo fit vt si is, cui legatum esset alimentum annuum, Religionem profiteatur, eo ipso, illud monasterio debeatur, quamdiu ille vixerit. Quòd si legatum esset alimentum annuum ad commodum sui victum, & vnius famulij, & ancillæ, deberetur quidem monasterio tantummodo pars ad eum commodè alendum necessaria; non tamen reliquum, quoniam Religionem professus nullo amplius ministerio indigeret.

Tertiò quæritur, An pater amittat vsusfructum, quem habet in bonis aduentitijs filij, statim, atq. solemnem Religionis professionem facit filius in monasterio bonorum immobilium capaci? Dux sunt opinionones. Vna affirmat, statim amittere, & vsusfructum ad proprietatem redire, & ad monasterium pertinere, eo quod per professionem definit esse in patria potestate filius, & transit in ius, & potestatem Abbatis, qui monasterio præest. Sic Glossa in *Authen. Idem est. C. de bonis, que liberis.* & alij non nulli; immo ait Nauarrus in *comment. 2. de regular. nu. 54. & 55.* hanc esse communem sententiam. Altera opinio docet penes patrem vsusfructum manere, nec ad monasterium transire, viuente patre, etiam si filius præmoriatur. Sic Nauarr. *loco supra citato.* & Couarr. *c. 2. de testam. n. 8.* & quidam alij recentiores eo argumento permoti, quod



professio facta à filio, iuri patris ante acquisito derogare nequit. Deinde, etsi filius Religionem professus à patria potestate liberetur, non adimit patri ius, quod in bonis eius ante professionem sibi acquiserat, sed solum impedit, ne nouum ius sibi comparare queat. Hæc mihi videtur opinio probabilior.

Quarto queritur, An emphiteosis, si quam habet is, qui Religionem proficitur, ad monasterium pertineat? Respondeo cum Ioan. Andrea, Barth. Alberico, & alijs, quos citant, & sequitur Abbas, & Decius in c. in presentia. de probat. Iason in Authent. Ingressi. c. de sacrosanct. Eccles. Nauarr. loco citato. & Iulius Clarius lib. 4. §. Emphyteosis. q. 22. & Syluest. verbo, Religio. c. 6. nu. 1. Angel. in verbo, Religiosus. nu. 54. Emphyteosim à priuato homine acceptam, transire ad Monasterium: Si tamen fuerit ab Ecclesia accepta, nisi eam repetat, etiam transire: ius enim haberet Ecclesia eam reuocandi, si vellet. Sunt nihilominus, qui absolute, & simpliciter negent ad Monasterium deuenire, eo argumento conuicti, quia alioqui deterior omnino fieret directi domini conditio, eo quod ei spes omnis emphyteosis ad ipsum deuoluendæ præcidatur. Sed prima sententia est tenenda.

Quinto queritur, An feudum, quod soluit is, qui proficitur Religionem, ad Monasterium transferatur? Respondent Ioannes Andreas, Abbas, Ancharanus, Antonius Butrius, Boich in c. in presentia. de probat. cum Innoc. & Hostiensis; quibus etiã ceteri consentiunt, ad Monasterium pertinere, quia in bonis profitentis numeratur: hoc tamẽ locum habere testantur, quando ratione feudi ministerium reale debetur; nimirum pecuniaria pensio vel alia quæcunque sit res; vel quando personale quidem obsequium debetur, sed tale, quod possit honestè à Monasterio præstari per se, vel per alium in sui locum substitutum. Alioqui enim feudum finitur, & ad directum dominum reuertitur: & Religionem professus à Sacramento, & iure iurando fidei datæ absoluitur. Ad Monasterium item dicitur transire feudum, non vt perpetuò apud ipsum permaneat, sed tãtũmodo ad vitam eius, qui est Religionem professus. Existimat tamen Iulius Clarius, lib. 4. §. Feudum. q. 78. recept. sentent. eiusmodi sententiam cõmunem, solummodo locum habere in feudis inferioribus, qui dignitatem nõ habent. Si filius, inquit, Regis, Principis, Ducis, Marchionis, Comitum Monachus fieret, minimè Regnũ, Principatus, Ducatus, Marchionatus, & Comitatus ad Monasterium deueniret. Quod etiam videtur dicere Speculat. tit. de statu Monach. nu. 15.

Si quæras, An Primigenia, quæ apud Hispanos sunt in vsu, & more posita, & regijs legibus confirmata, & dicuntur Maioratus, trãseant vnã cum primogenito factõ Monacho ad monasterium? Respondet Molin. in tract. de Hispan. primog. lib. 1. ca. 1. nu. 71. & sequentib. non transire: & hoc confirmat vsu, & cõsuetudine, quæ ita seruat in Hispania: nam huiusmodi Maioratus apud Hispanos, instituantur ea lege, & conditione, vt bona in familia conseruentur, & proximo cuique primogenito per successionem in perpetuum debeantur: Sic ille.

Sexto queritur, An bona eius, qui proficitur Religionem, debeatur statim hæredi extraneo, quem ante professionem, legitime instituerat? Respon-

deo, si Religio bonorum capax non sit, qualis est Franciscanorum Obseruantium, & Cappuccinorum, statim ab emissã professione, ad hæredem institutum pertinere, quoniam professio talium Religionum, in hoc, morti naturali æquiparatur: Si verò Religio sit bonorum capax, bona nõ debentur hæredi instituto, nisi post naturalem mortem Monachi Religionem proficis: quãdiu enim viuit Monachus, Monasterium eius bona iure possidet. Sic Barth. Abb. Imola, Anton. Butr. Decius, Alexand. quos refert, sequiturq; Couar. cap. 2. nu. 6. de testam. Vnde fideicommissum relictum alicui sub ea conditione, si institutus hæres sine liberis decesserit, statim fidei commissario debetur, si institutus Religionem proficitur, quæ bonorum capax non sit, vt testatur Socinus, quem citat, & sequitur Couarruias loco citato.

Septimo queritur, An si pater Religionem proficitur, statim legitima bonorum portio filio debeatur, ita vt eam possit confestim filius petere, & Monasterium tradere cogatur? Duplex est opinio: Vna docet, si pater ante professionem bona inter filios minimè diuiserat, non statim deberi legitimam filijs, sed post obitum patris: eo autem viuente, Monasterium omnia bona possidere. Sic Glossa, & Barthol. Salyce. Iason, Decius, Alexan. Felin. immo hanc aiunt esse opinionem communem, hos omnes citat Couar. c. 2. de testam. nu. 7. Altera opinio tradit statim deberi filio. Sic Abb. Ioan. Andr. Ioan. Anania, Baldus, Francus, quos citant, & sequuntur Couar. in ca. 2. de testam. nu. 7. & Nauarr. in commen. de regular. 2. nu. 48. quæ certè opinio magis videtur cum ratione, & communi iure Canonico congruere: quãuis minus cum iure ciuili conuenire videatur. Nam in c. cõsumus, de Regular. probari videtur tradendam esse filio portionem legitimam ex bonis patris Religionem professi, statim, non expectata morte patris. Deinde, quia filius alioqui à Monasterio exigere annua necessaria alimenta cogeretur, quod esset ei graue, & molestum. Et in Authent. Si qua mulier, de sacrosan. Eccles. patri Religionem proficso liberè permittitur, legitimas portiones filijs reddere: quod minimè concederetur, si bona patris eo viuente à Monasterio recuperari, & auferri nõ possent. Eadem ratione dos debetur filix, & danda est illi, statim vt pater fuerit religionem professus; dos enim est loco alimentorũ, & legitimæ portionis.

Quæres, An filij naturales, & non legitimi ius habeant petendi legitimas portiones ex bonis patris Religionem professi? Respondeo, communi cõsensu esse receptum, tantum filijs naturalibus, & legitimis id iuris conuenire. Nauarrus tamen loco citato, affirmat eos id etiam iuris habere cum legitimi deficiunt ijs in locis, in quibus succedunt ex testamento, & ab intestato, deficientibus legitimis. Quæ sententia mihi probatur, quoniam ratio naturalis idem ius videtur suadere de filijs naturalibus, quod de legitimis, si legitimi deficient.

Octauo queritur, An similis etiam ratione pater ius habeat statim exigendi portionem sibi debitam ex bonis filij Religionem professi, non expectata naturali filij morte? Duæ sunt opiniones, quarum vna negat, estq; Glossa, & aliorum in Authent. Si qua mulier supra citata. Sumpto argumento ex Authentica, Si qua mulier, quæ loquitur de eo, qui



eo, qui erat ingressus in Monasterium, & liberos habebat. Altera opinio affirmat idem iuris conuenire Patri, quod & filio: quæ placuit Barth. Cyno, & Iasoni, in *Aurb. si qua mulier*. Innoc. Ioan. Andr. & Abb. in *c. In presentia. de probationib.* & mihi pariter placet. Nam iure gentium, patri legitima debetur ex bonis filij, sicut ex bonis patris iure naturali, filio debetur quoque legitima portio. Ius autem gentium idem est, quod naturale.

Nono quæritur, An filius Religionem ingressus, ius habeat ante professionem statuendi, quod voluerit de suis bonis aduentitijs, viuentis patre in ipsis vsum fructum habente? Dux sunt & opiniones: Vna negat, quia nihil potest statuere, quod iuri patris deroget. Altera affirmat, quæ sequitur Abbas in *c. In presentia. de probat.* Syluest. *religio. 6. q. 1. vers. 5.* Id probat, quia filius statim ab ingressu gaudet priuilegio *Auben. Presbyr. c. De Episcopis, & Clericis*. Vbi quod in laico est peculium aduentitium, in Clericis est quasi castrense: sed filius familias potest, nutu suo, absque consensu patris, de bonis castrensis, & quasi castrensis statuere, ergo & filius Religionem ingressus poterit de bonis aduentitijs. Inter omnes conuenit nihil iuris patrem habere in aduentitijs filij bonis, post ingressum in Religionem acquisitis: & proinde posse filiū de his ante professionem statuere, quæ placuerit, quoniam eiusmodi bona aduentitia sunt quasi castrensis.

Tota igitur quæstio est de aduentitijs bonis ante ingressum in Monasterium comparatis, de quibus etiam constat posse filium suo arbitratu statuere, quod attinet ad dominium, & proprietatem illorum. Sed adhuc dubiæ quæstionis est, an etiam possit statuere, quod liberit, de vsum fructum illorum? Prima opinio negat, secunda affirmat. Mihi tamen magis prima probatur opinio; non enim pater est suo iure priuandus.

Decimo quæritur, An libri, quos filius familias accepit à patre ob studium literarum, ad Monasterium pertineant, si filius Religionem profiteatur. Quidam volunt pertinere, quia sunt peculium quasi castrense: nam libri in his, qui literis student, sunt veluti arma militis: sed hæc sunt peculium quasi castrense, ergo & libri iuuenum literis operam dantium. Alij verò distinguunt: Aut libri sunt dati à patre filio doctore, vel magistro, & hi pertinent ad Monasterium, cum sint veluti arma doctoris, vel magistri; & proinde quasi castrense peculium: Aut sunt dati alijs, qui in studio literario curam, & operam collocant. Et hi non transeunt ad Monasterium, sed patri debentur. Sic Bartolus in *l. Filie. ff. Familia herisc.* quod Syluest. *religio. 6. q. 1. verius esse dicit: Sed vtu est receptum, vt si filij sint extra domum paternam ad academias missi, studij literarum gratia, eorum libri ad Monasterium transferantur; eorum autem, qui apud patrem in literas cura, & studio incumbunt, libros pater retinet, nec Monasterio tradit.*

Vndecimo quæritur, Quo iure Monasterium succedat in bonis Monachi Religionem professi an iure hæreditario, tanquam hæres proprius, an tanquam hæres extraneus institutus? Hæc quæstio solum est de his bonis, quæ Monachus habet tempore Professionis: nam postea explicabimus, quo iure succedat Monasterium in bonis, quæ illi obueniunt post Professionem emissam, Innocen-

tius in *cap. In presentia. de probationibus* responderet, Monasterium succedere iure hæreditario, seu quod idem est, iure successione; & proinde possessionem bonorum acquirere, quamprimum quis factus est Monachus absque vlla apprehensione. Et in hoc Monasterium, ab hærede extraneo instituto distingui, quod hæres non fit Dominus quousque adeat hæreditatem: & postquam adierit, non intelligitur hæreditaria bona possidere, donec eorum corporalem possessionem fuerit adeptus, *l. Cum hæredes. ff. De acquiren. possess.* Monasteriū, verò cum primum quis Monachus est factus, omnium bonorum eius non solum dominium, sed etiam possessionem acquirit, quia Monachus nihil potest amplius possidere. Et quia persona eius in Abbatis potestatem transit, sicut bona eius, qui per arrogationem transfertur in potestatem arrogantis, ad ipsum arrogantem deriuantur, *l. Si adoptauero. ff. De Præcaro*. Hoc idem sentiunt Hostiensis, Antonius Butrius, Ioann. Andreas, Abbas, Petrus Ancharanus, Baldus in *cap. In presentia. de probation.*

### Caput IX.

#### De Religiosorum Peculio.

PRIMO quæritur, An Religiosus possit peculium habere? Nam Peculium omnino videtur cum votiua paupertate pugnare, eo quod Peculium sit proprium alicuius patrimonium. In *l. Depositi. ff. de Peculio* dicitur: *Peculium dictum est, quasi pusilla pecunia, vel pusillum patrimonium*. Olim enim, vt habetur in *cap. Totum. 1. quæst. 2. Totum*, quod quis in suo patrimonio habebat, pecuniæ nomine vocabatur. Ergo peculium dictum est quasi pusilla pecunia, hoc est, pusillum alicuius patrimonium: Peculium namque solum dicitur Pusillum ferui, vel filij familias patrimonium, quod habet separatim à magno Domini, aut patris familias patrimonio. Et secundum Glossam in *Kubrica. ff. De Pecul. octo modis Peculium dici contingit, quos non necesse est in presentia referre*. Et quia Patrimonium veteres in pecoribus habebant, dictum est Peculium, quasi paruum pecus.

Monachus autem patrimonium, siue bonorum proprietatem non habet. Nam *cap. Non dicitur. 12. q. 1. proprium habere, Monachis est interdictum; & cap. Monachi, De statu Monacho.* ex Concilio Lateranensi sancitum est, ne Monachi permittantur peculium habere. Item, in *cap. Cum ad Monasterium, De statu Monachorum*. Abdicatio proprietatis adeo annexa dicitur Monachali Regulæ, vt contra eam, nec summus Pontifex, valeat licentiam indulgere. In Concilio quoque Tridentino *sess. 25. cap. 2. de Regularibus* statuitur in hunc modum: *Nemini Regularium tam virorum, quam feminarum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quous modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam necessaria conuenire, possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, & conueniri inopertentur*. Et deinde subiicitur: *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari cedere, etiam ad vsum fructum, vel vsum, vel administrationem, aut commendam*. Hactenus Concilium.

Annotandum est, Peculium esse triplex. Primum, nomine Peculij cæsentur ea bona, quorum quis dominium, siue proprietatem habet. Deinde,

ea bona,



ea bona, quorum quis habet vsum fructum, vel vsum, vel administrationem absque vlla alterius voluntate; ita vt arbitrato suo possit eorum fructibus vti, & de eis nutu suo quod voluerit statueret. Postremo, Peculij nomine intelliguntur ea bona, quorum quis habet vsum, vel administrationem, quæ ad nutum alterius reuocari possunt. Porro Peculium, aut in rebus stabilibus, aut immobilibus, aut in mobilibus consistit.

Hoc posito, omnibus compertum est, cum solemnem Paupertatis voto pugnare, si Monachus primi generis peculium habeat, cum per professionem se omni rerum dominio, & proprietate abdicauerit. Certi item iuris est, non posse Religiosum secundi generis peculium habere: nam etiam voto Paupertatis solemnem repugnat vsum fructus, vel vsum, vel administratio, à qua Abbas nutu & arbitrato suo Monachum amouere non possit. Religiosus enim nihil proprium habere potest: sed vsum, vel vsum fructus, vel administratio, quæ quis pro libito habet nullius alterius potestati, & voluntati subiectam, est aliquid proprium. Deinde, Monachus nihil iure potest, aut velle, aut nolle, absque Abbatis nutu, & arbitrio, ergo nec aliquid proprium habere. Et de his peculij intelliguntur Canones supra citati. Quare Concilium Tridentinum, hæc verba subiecit: *Administratio autem bonorum Monasteriorum, siue Conuentuum, ad solos officiales eorundem, ad nutum Superiorum amouibiles, pertineat. Et statim addit: Mobilium verò vsum ita Superiores permittant, vt eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat, nihilque superfluum in ea sit.* Hæc ibi. Peculium verò tertij generis, solemnem voto Paupertatis minime aduerfatur: nec enim Monachus proprium quid habere censetur, cum id habet, vel administrat, vel eo vititur sui Abbatis nutu, & concessu expresso, vel tacito, & quod eiusdem voluntate reuocari queat: tale enim peculium conceditur iure communi in cap. *Monachi, ad finem, & cap. Cum ad Monasterium, §. Tales, de statu Monachorum.*

Secundo queritur, An liceat Monialibus scemini nutu, & concessu Superiorum retinere, & possidere redditus, siue census certos ad vitam, sibi à parentibus, vel propinquis, vel amicis assignatos ad suam vitam vsum necessarios? Innocentius, Hostiensis in ca. cum ad Monasterium, de statu Monachorum. Sylu. Religio. 6. q. 7. & Religio. 8. q. 5. Ioan. Andr. & Abb. in c. cum ad Monasterium citato, & Nauarr. Commen. 2. de Regularibus. n. 14. id iure fieri posse, opinantur, dummodo census nutu Superiorum reuocari, auferri, & denegari queant. Id colligunt primum ex cap. *De Viduis, 27. q. 2. & c. In sinuante, qui Clerici, vel vouen.* Deinde, quia id cum votiua paupertate non pugnat, cum nec proprietatem, nec dominium censuum habeant, sed vsum fructum nutu Superiorum reuocabilem. Accedit, quòd id sit in more positum. Nauarrus demum, qui post Concilium Tridentinum scripsit, censuit hoc minime pugnare cum Concilij Tridentini decreto. Dicendum tamen est, hoc iure antiquo nequaquam esse prohibitum, idque proposita argumenta concludunt: at verò iure nouo Concilij Tridentini, id esse interdictum, nimirum sess. 25. cap. 2. *De Regularibus.* Vbi sic habetur: *Non liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad vsum fructum, vel vsum, vel administrationem, aut commendam.* Hæc ibi. Sed redditus, & census an-

nui inter bona stabilia numerantur, vt colligitur ex Clem. Eximii, §. Cuius annui redditus, de verb. signific. Permittit tamen Concilium, vt administratio bonorum Monasterij, siue Conuentus, sit penes officiales eiusdem Monasterij, & cœnobij nutu Superioris amouibiles. At oppones; Si administratio bonorum stabilium esse potest penes officiales, nutu Superiorum reuocabiles, quare nequit esse penes ipsos Religiosos priuatos? Respondeo, vt ante iam dixi, hoc non esse iure naturali, diuino, aut Canonico antiquo vetitum, sed à Concilio Tridentino, & merito improbatum, & sublatum: quoniam cum huiusmodi bonorum vsum, vel administrationem priuatis Monachis conceditur, solet esse causa malorum, vt docuit experientia; at non ita, cum publico cœnobij administro ea cura committitur. Cæterum non præcipit Concilium, ne nutu, & consensu Superioris Religiosus priuatus habeat vsum, vel administrationem bonorum mobilium, ad vitam vsum necessarios, aut vitales, cuiusmodi bona sunt libri, & reliqua supellex: dummodo, inquit, nihil in ea superfluum insit. Et addi iure potest, modo non habeat ad vanos, aut inuiles, aliosque vsum turpes, & lege, siue canone interdictos. Nec hæc in re mihi Nauarrus sententia probatur, qui duobus in locis scriptum reliquit, videlicet in Commen. 2. de Regularibus. nu. 18. & in tract. de reddit. Eccles. q. 1. nu. 84. prædictum Concilij Tridentini decretum de Regularibus. solum cauere, ne Superiores bona stabilia alicui Regulari tribuant ad vsum, administrationem, vsum fructum, vel commendam, nimirum, sine causa iusta, & debita: vnde ait, nullum ius nouum in Concilio, hæc in parte constitutum fuisse, sed tatummodo ius antiquum renouatum, vt Regularis nihil proprium habeat, nullum item vsum sine causa iusta, & legitima. Quare verius existimo, quod haecenus dixi, id iure antiquo esse permissum, iure tamen nouo in Concilio vetitum fuisse, & propterea annui census, vel redditus, sicut, & alia bona immobilia, tradi Superiori debent, vt is Religiosis singulis necessaria prouideat. Hoc idè post Concilium Tridentinum, scribens sensit contra Nauarrum Cordubensis, in sum. q. 34.

Tertio queritur, An Abbatis nutu, & concessu possit Religiosus aliqua bona habere, quæ ei conferuntur, vt ab eo administrantur, ea conditione, vt certam pensionem reddat Monasterio, & ex reliquo viuat, & illud impèdat in pios, aut in bonos vsum, quos ipse maluerit. Tale peculium habere solent Monachi senes, vel infirmi de Religione bene meriti, quibus habitatioes aliquæ salubrioris commodioresque concedi solent; ita tamen, vt ad Abbatis nutum adimi, & auferri queant. Respondeo ex paulò ante dictis, id non licere iure nouo Concilij Tridentini, si bona sint stabilia; quamuis iure antiquo non fuerit interdictum.

Quarto queritur, An aliqua femina possit Religionem profiteri ea conditione, vt domi suæ maneat, & certam suorum bonorum portionem habeat? Respondeo, Si ea conditio sit, vt tanquam proprium aliquid habeat, vel quod nutu Abbatis nequeat repeti, & adimi, cum votiua professione pugnat, & coram eius substantiam, & naturam vitiat: Si autem ea conditio intelligatur, vt tum domum suam ad habitationem, tum suorum bonorum partem ad necessaria vitæ subsidia, & alimenta habeat ex Abbatis voluntate pendente, nihil

professio-



professioni repugnat, nec iuri antiquo, vt colligitur, ex cap. de viduis. 27. qu. 2. & cap. insinuante. qui cleri. vel vouen. Abb. in cap. cum ad monasterium, de status Monachorum. Nauarr. Commen. 2. de regularibus, nu. 14. Syluest. verbo Abb. q. 7. dicto. 7. ex Innoc. in cap. insinuante citato, & ex Ioan. Andrea in cap. non est obligatorum de regul. inris in sexto. At iure nouo Concilij Tridentini, id nõ licet, quo precipitur, ne Religioso priuato dentur etiam ad vsum, & administrationem stabilia bona; eiusmodi sunt domus, fundi, agri, & alia possessiones huiusmodi. Ex quo intelligitur quomodo cum vortua Professione, quam faciunt foeminae Sanctimonialia, aut cum iure antiquo Canonico, aut nouo Concilij Tridentini, nõ pugnet, quod in consuetudinem venit: qua huiusmodi foeminae præter dotem Monasterij datam, aliquam bonorũ portiunculam à parentibus, vel alijs propinquis acceptam superiorum consensu referuant, & recinent ad suos vsus necessarios, quam in singulos annos possint infumere: talis enim bonorum portio tradi solet cuidam moniali, quæ tanquam administra, & depositaria solet Monialium similes portiones habere, vt cuique pro earum indigentia distribuatur.

Quintò quaeritur, An Superiorum nutu, & permisso Religiosi possint aliquid habere, quod impendant in vsus suorum propinquorum, vel amicorum? Respondeo, Consuetudinem præteritis temporibus fuisse, quæ Superior Religioso facultatem concedebat, vt alijs donaret ea bona, quæ ipse Superior aliquo iure donare posset, ius autem, & potestas Superiori erat secundum consuetudinem receptam aliquid donandi, quod esset in rem, & vtilitatem cœnobij, vel in pauperum, & indigentium vsus, vel ad efficiendos munusculis aliquos ex ijs, qui de Cœnobio, vel Religione bene meriti essent, vel ad conciliandam aliquorum beneuolentiam. Quare non condemnabatur id, quod aliquando fieri solebat, quando Superiori concessu Religioso, qui in aliqua Academia, vel Gymnasio publico docebat, ex annuis redditibus, qui ipsi Cœnobio tanquam debita stipendia solvebantur, aliquantulã sibi portionem retinebat, quam vel confanguineis indigentibus tribuebat, vel arbitrari suo in alios vsus bonos, aut viles, aut necessarios infumebat, dummodo eam portionem nõ haberet tanquam certam reddituum annuorum partem sibi debitam, sed eam quotannis acciperet à Superiori, vel à totius Conuentus Procuratore, cui annui redditus Cœnobij administrandi committi solent. Similiter etiam Sanctimonialibus permittebatur, vt confanguineis, vel alijs de se bene meritis, aliqua bona impertirent, quæ industria, arte, vel labore manuum suarum acquirerent, aut parentum, aut amicorum, aut aliorum donatione haberent: & Religiosus item, quando longè à Monasterio aberat, vel studij literarij gratia, vel alia qualibet de causa, legitimo Superiorum permisso, & consuetudine recepta elemosynam dare solebat ex ijs, quæ à Monasterio accipiebat, ad se in studijs literarijs, vel negocijs gerendis commodè sustentandum, dummodo id daret solùm, quod esset more, & vsu receptum, nec esset hoc illi specialiter interdictum: & modo id tantum donaret, quod cetera habebat sibi parcius viuendo ex acceptis alimentis: tunc enim e-

lemosynã dare videbatur tacito Superioris consensu. Veruntamen siue iure, siue fecus, hæc Superioribus temporibus aliqui Religiosi facere consueuerint, merito eos, & alia similia, quia Religiosam paupertatem magna ex parte eneruare, & la befactarẽ videantur, fieri omnino vetuit Sanctissimus D.N. Clemens VIII. in Constitutione edita anno salutis humane 1594. quæ incipit. Religiose Congregationes. Vbi præcipit, ne Religiosi, quicunq; sint illi, siue viri, siue foeminae, cuiuslibet Congregationis, Societatis, & Instituti (non tamen Militiæ) directè, vel indirectè, palam, vel occultè, tam cõmunis, quam particulari, & proprio nomine, etiam sub quouis statuti, vel consuetudinis, seu vetus corruptelæ, aut alio pre-textu, vel quacunq; causa, nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione re mature discussa, vnanimi cõsensu omnium, Superiorumq; permisso, causa approbata fuerit, aliquã largitionem, & missionẽ munerum facere valeant. Et subiungit statim, Id autẽ ita absolute, & generalitèr vetitũ intelligatur, vt neq; omnino fas sit, quicquã donare, itã ex fructibus, redditibus, & proventus, collectis, vel contributionibus, aut oblationibus, siue elemosynis, aut subsidijs certis, vel incertis, ordinarijs, seu extraordinarijs, mensis seu mense cõmunis, vel cuiusvis Fabricæ, & Sacriliæ, quarum bona cõmuniter, vt præfertur, administrantur, seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia, quàm ex pecunijs, etiam quæ à singulis quouis modo acquisita, in cõmune conferendæ omnino sint. Nec si per viã voluntaria contributionis in cõmune congerantur. Nec si forsitan priuati, & nominati cuiuslibet Religiosi à suis Superioribus, vel à proprijs affinibus propinquis familiaribus, amicis, aut beneuolis, vel à pjs Christi fidelibus, etiã elemosynæ, aut charitatis, ex illius proprie persone intuitu attribuantur, seu quomodolibet per quemlibet Religiosum suo Monasterio, Domui, aut Loco acquisita, atq; vt ad libitũ de eis disponat per Superiores concesserint: præterquã leuiora ex cõstituta, aut potestata, seu ad acenotione, vel Religionem pertinentia munuscula cõmunitantiam, nunquam verò particulari nomine (vbi Superiori de consensu Conuentus videbuntur) tradenda. Sed & eiusmodi missiones munerum ijs Religiosis viriustibet sexus non solùm per se, verum etiam per alios, tam directè, quàm indirectè prohibitas declaramus. Nec aliquis excusare se possit etiã munerum miseris cuius Personæ Laicæ, vel Ecclesiasticæ cuiusquamque status, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quouis nõ solùm mūdana, & Ducali, Regiæ, Imperiali: verũ etiam Ecclesiasticæ, & Pontificali, aut alia maiori, etiã S. R. E. Cardinalatus dignitate fulgenti, etiã proprio Loci Ordinario, etiã ex causa, & occasione Benedictionis, vel suspensionis habitus Regularis, Tonsuræ, aut Professionis Monialium, sibi subditarũ, quàm nõ subditarũ, aut ipsi etiã proprio Ordinis Protectori, Viceprotectori, Generali, vel Provinciali, aut cuiuslibet alteri Superiori: aut etiã cuiuslibet simplicis, & particulari Religiosi: ita vt inter ipsos quoq; Religiosos (ne praua ambitione impulsus pro cõsequendis in sua Religioe gradibus, dignitatibus, alter alteri gratia, aut beneuolentiã aucupeur) quicunq; largitio aut donatio munerũ (nisi verũ minimum de licetia expressã, & in Scriptis Superiorũ) sit penitus interditta.

Insuper prohibemus, ne vnquam eisdem Regularibus liceat nullas pecunias quoquo modo erogare, in aliquis etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel ordinarij honore, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad beneficiorũ accipiendorum memoriã, gratiaq; animi testificatione, seu pro prædictis personis, quouis auctoritate, vel dignitate iungentibus honorifice, iuncte, & opipare excipiendis, seu pro quibusvis conuuijs eisdem, aut cuius alteri quacunq; occasione, vel causa exhibendis, vel pro commensationibus, aut compositionibus quibusvis personis tam eiusdem ordinis, Congregationis,

Monasterij,



Monasterij, Domus, aut Loci, quam extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis, etiam piji intra Ecclesias, Monasteria, & Domoſ ſacras, ſeu pias, vel extra eas, in quibus ſus publicis, aut privatis, ſacris, aut profanis locis, etiam vbi Sanctorum & Sanctarum vita, aut res pie geſſe, etiam in memoriam Paſionis Dominice popularis ſpectandæ præponuntur: aut alias in prædictis, ſive in quibus ſus rebus ſuperuacaneis ad pompam, & oſtentionem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & priuata commodam quomodolibet pertinentibus. Niſi re ipſa pro diuino cultu, & veris Chriſti pauperum indigentis, ſeruato in hoc charitatis ordine, & habita neceſſitatis ratione, de conſilio, & conſenſu Superiorum ſubleuandis, aut aliis in rebus licitis, & per Capitulum Generale, aut Prouinciale nõ prohibitis, vel Taxam, ſibi forſan præſcriptam non excedentibus ſumptus huiusmodi ſiant.

Declarantes tamen per hæc, laudabilem, & Apoſtolicam doctrinam, ſacrisque Canonibus commendatam hoſpitalitatem præſertim erga pauperes, & peregrinos nequaquam imminui, aut prohiberi. Quinimmo ſi qui reditus ad id, vel ex fundatione, vel ex inſtitutis ſtatutis, aut conſuetudinibus aliquorum Monasteriorum, ordinum, aut Regularium huiusmodi locorum, aut ex teſtatorum, vel donantium voluntatibus, ſive aliis applicati, aut donati ſunt, eos omnino (vt decet) integre in vſus pios hoſpitalitatis huiusmodi erogandos eſſe, & præſertim in Monasterijs, ſeu locis deſerijs, & ab Laicorum edibus longius remotis, vbi tamen pauperum, & verè egenorum ratio in primis habeatur.

Si quos verò ditiores occasione tranſitus, ſive aliis ex deuotionis, aut neceſſitatis cauſa eo diuertere contigerit, eos ſane deceret Reſectorio communi cum Religioſis, menſaque, & ſerculis communibus nequaquam à cæteris diſtinctis contentos eſſe. Verùm omnino ipſi regulares in hoſpitibus huiusmodi potentiorebus excipiendis, ita ſe gerant, vt in eis frugalitas, & paupertas religioſa prorsus eluceat.

Pari etiam ratione diſtictè inbibemus, ne quiſpiam ex prædictis Laicis aliis, quam vt ſuperius dictum eſt, vel clericis ſecularibus, vel regularibus, quocunque honore, præeminentia, nobilitate, aut excellentia, etiam S. R. E. Cardinalatus dignitate præditis, etiam Proteſtor, Viceproteſtor, loci ordinarius, Prælatiſ Generalis, Prouincialis, aut Monasterij, Domus, vel loci cuiuslibet Superior, eorumque aſſines, propinqui familiares, aut miniſtri viriſlibet ſexus, quicquam contra hanc ſuperius expreſſam prohibitionem recipiat. Quod ſi, vel ab aliquo particulari Religioſo, vel à Superiore quopiam, Generali, Prouinciali, aut alio quocunque officio ſurgente, aut à Conuentu, Capitulo, vel Congregatione, ſive ab vniuerſo ordine, & Religione quippiam receperint, id, quod acceperint, ſuum non faciunt, verùm ipſo factis, abſque aliqua monitione, Iudicis decreto, ſementia, aut declaratione ad illius reſtitutionem in vtroque foro teneantur: adeo, vt reſtitutione ipſa realiter nõ facta, neque etiã in foro conſcientiæ abſolui poſſint.

Hanc autem reſtitutionem fieri volumus non priuatim ei Religioſo, qui donauit, ſed ei Monasterio, Domui, vel alteri loco, de cuius bonis facta eſt largitio: vel ſi non de eius bonis donatus eſt, in quo idem Religioſus donans profeſſionem emiſit: vel ſi nomine totius Capituli, Conuentus, aut Congregationis, vel vniuerſi ordinis, ſeu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi menſæ, aut maſſæ, cuius nomine donatum fuerit, accepta munera reſtituantur: ita vt nec qui donauit, nec Conuentus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio cui reſtitutio faciendæ eſt, illam remittere, & uerum cõdonare, aut recipere ab obligatione reſtituendi eximere, vel vt in pauperes erogat, concedere quoquomodo poſſit.

Quod ſi quis ex ſupradictis Regularibus viriſlibet ſexus, cuius ſus gradus, ordinis, dignitatis, ac vbiſlibet locorum exiſtentibus coniunctim, cum cæteris, ſeu diuiſim, noſtrarum

huiusmodi prohibitionum, ſtatutorum, ordinationum, inſtitutionum, decretorum, mandatorum, tranſgreſſor fuerit ſtatim, vt omnibus, & ſingulis per eum obiectis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officijs eo ipſo priuatus, atque ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia in futurum obtinenda, inobabilis perpetuo, & in capax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus exiſtat: & prætereã priuationem vocis actiue, & paſſiue abſque vſo Superioris decreto, aut miniſterio, ipſo factis, incurrat: necnon vltra huiusmodi penas, etiam tanquã contra furis, & Simonie criminum reum, tam per viam denunciationis, accusationis, aut querelæ, quam etiã ex officio procedi, & inquire, condignisq; ſupplicijs offici debeat. Penes alios à Iure ſtatutis, ac per alias Conſtitutiones Apoſtolicas, aut propria cuius ſus ordinis, Congregationis, Monasterij, Domus, aut loci ſtatuta, vel Conſuetudines contra perſonas aliquid præmiſſorum commiſſes, forſan decretis, & inſtitutis, nihilominus in ſuo robore permanſurus. Hæcenus Pontificia Conſtitutio. Ex qua manifeſtè perſpicitur, multa eſſe iure optimo abrogata, & penitus ſublata, quæ conſuetudo contra, aut præter Religioſorum paupertatem inuenerat.

Sextò quæritur, Quid ſit dicendum, cum datur alicui Religioſo in quotidianas impẽſas annuas, vel menſtruas, aut pro itinere faciendõ, aut aliquo alio negotio peragendo certa pecunię quantitas, ea conditione, vt nihil amplius à Monasterio exigat, nec rationem reddat, ſed eam ſuo damno, vel cõmodo impẽdat. Quæritur, inquam, an ſi hic Religioſus parcius viuat, reliquũ, quod ſibi ſubtrahit, tuta, & ſaluã cõſcientiam in eos vſus diſtribuat, quos ipſe maluerit: Reſpondeo, id etiam præteritis temporibus fieri ſolium fuiſſe, non quod eius portioſis Religioſus factus eſſe Dominus crederetur, ſed quod tacitus quidã Monasterij conſenſus intercedere videretur, vt eam portioẽ ex ſuo victu detractam, prout velle, in ſumeret in pios, & bonos vſus, alioqui nihil ei arbitratu ſuo liceret impendere. Hinc etiam ſit vt tanquã iure permiſſum, condemnatum non fuerit olim id, quod erat in more poſitũ, ſcilicet Religioſo cui piã tradebatur poſſeſſio, aut alia quælibet domus, vel villa vnã cum ſuis omnibus fructibus, & commodis adminiſtranda, ea lege, & conditione, vt certam penſionem Monasterio ſolueret, rem ſibi conceditam meliorem vtilioremq; redderet, & reliquũ deinde ſumeret ad ſuos vſus: id tunc temporis tuta conſcientia fieri, vel iure cõmuni, vel conſuetudine recepta, putabatur. Sed merito hæc, & alia ſimilia fieri Synodus Tridentina prohibuit. Et Sanctiſſimus D. N. Clemẽs VIII. prædictã Conſtitutione interdixit, niſi ſiant iuxta formulã in ea præſcriptã.

Septimò quæritur, An tuta conſcientia fiat id, quod alicubi more ſeruatur, nimirum: Monasterium præbet ſolummodo victum Monachibus, ea lege, & cõditione, vt pro victu ſibi ſumant, quæ proprio labore, & induſtria ſibi comparant, aut aliorum donationibus nancifcuntur? Reſpondeo, id iure permiſſum eſſe, ſiquidem nihil proprium habent, nec bona aliqua ſtabilia annuoſuè redditus accipiunt, ſed induſtriæ, vel laboris ſui fructus, conceſſu Superioris, cuius nutu ea facultas poteſt reuocari. Hæc ſuit Ioannis Andreæ, & Abbatis ſententia in cap. cum ad monasterium de Statu Monachorum. Nec item reprehendenda videtur ea conſuetudo per ſe, qua Superiorum conſenſu expreſſo, vel tacito, Religioſi habent, aliquid ſuis vſibus



visibus destinatum calceos nimirum, vestes, precationum codicem, libellos aliquos necessarios, vel utiles, depictas, vel insculptas sanctorum imagines, papyraceos codices, quibus aliquid excipiunt, aut quædam etiam, quæ ad esum, & potum pertinent, dummodo hæc, & similia pro Superioris nutu, & arbitrio reuocari & adimi queant, nec in eis aliquid superflui, aut vani reperitur, vt Concilium monet: nec aliqua Pontificia constitutione noua veteretur.

**O**ctauo queritur, An Abbas Monacho Beneficium regulare, aut Ecclesie administrationem perpetuam, hoc est, ad vitam eius conferre queat? **R**espondeo, in c. *Cum ad Monasterium*, §. *Tales*, *De statu Monachor.* manifestè deecerni, Ne alicui committatur aliqua obedientia perpetuè possidenda, tanquam sibi loceatur ad vitam, sed cum oportuerit, sine contradictione qualibet reuocetur. Et c. *Porrethum*, & c. *Ad nostram*, de *Regularib.* statuitur, Regularia beneficia, in quibus Religiosi instituntur, posse ad nutum Superioris reuocari, nisi auctoritate Romani Pontificis fuerint confirmata, & subiungitur, huiusmodi confirmationes non solere Romanum Pontificem concedere, nisi expressim & scienter id fecerint. Item, in *Clem. quia Regulares*, de *supplen. neglig. Prælatorum*, dicitur: *Licet Priores, seu administratores huiusmodi liberè possint ad Claustrum, cum oportuerit, reuocari.* Quo fit, vt si Abbas alicui Monacho Ecclesiam administrandam cõcesserit vnà cū iure, actione, rebusq; omnib. ad eam pertinentibus, iure possit eam reuocare, cum voluerit. Et eadem ratione ius habet eam reuocandi successor. **R**OGABIS, an idem iuris sit pene Abbas, eiusque successorem, si concesserit ea lege & pacto, vt ad vitam habeat, eamque reddat meliorem? **R**espondeo, idem planè iuris esse, quandoquidem conditio adiecta, vt ad vitam habeat, debet iuri communi congruere, alioqui erit irrita, & inanis: & propterea talem oportet esse, vt ad vitam nimirum habeat, sed ita, vt eam Superior possit, cum voluerit, reuocare.

**N**ono queritur, An Romani Pontificis beneficium Monachus Religionem professus extra Monasterium tuta conscientia viuatur ex certa pensio ne sibi assignata, vnde fructus percipiat suæ vitæ necessarios? quod est querere, An Romani Pontificis concessu Monachus tuto peculium habeat? **R**espo. Cum pensio Ecclesiastica, sit ius percipiendi fructus ex Ecclesiastico alterius beneficio; efficitur, vt Religiosus absque Romani Pontificis auctoritate pensionem habere non possit. **R**ursus, cum votum iure naturali, & diuino sit perfoluendum, sit etiam, vt sine iusta & legitima causa nequeat auctoritate Pontificia relaxari. **E**x quibus colligimus, iustis de causis Religioso extra Monasterium viuenti Romanum Pontificem posse pensionem conferre, eo quod, vt supra dixi, in solemnè paupertatis votum iure cadit aliquando Pontificia relaxatio. Iustæ autem causæ censentur hæc, in primis, si Religiosus vir sit, cuius consilio, prudentia, doctrina, opera & industria Romanus Pontifex vti velit; aut de Republica Christiana sit bene meritus, si etiam sit iam senio confectus, aut incommoda vtens corporis valetudine. **R**OGABIS, an liceat tali Religioso pensionem possidere, quæ plures fructus reddat, quam qui

ad eius quotidianum victum, & cultum sint necessarii? **R**espondeo, perspicendam esse datam à Romano Pontifice facultatem: aut enim Romanus Pontifex pensionem tribuit, vt ex eius fructibus commodè sustentetur, & viuatur, & quod superfluerit, in pios vsus impendatur: aut eam absolute concedit & exprimit se eam conferre ad modum ipsius victum. Si primum, debet tantum sibi sumere fructus necessarios, reliquos autem in pios vsus impendere, quoniam nihil potest contra Pontificis auctoritatem sibi capere. Si secundum, tunc facultatem habet retinendi fructus relictuos, nam cum ei Pontificia auctoritate certà pensio sit assignata, sequitur, vt fructus eius omnes sibi attribui destinati que sint. **O**bjicies, pensionem plures fructus reddere, quam vitæ sustentandæ sufficiant, eos ergo, qui superflui, tuto retinere non potest. **R**espondeo eos retinere Pontificis auctoritate. **V**RGEBIS, id fieri nequire, quoniam licet idonea sub sit causa, vt is Religiosus voto ex parte solutus, pensionem ad vitam necessariam obtineat, non tamen maiorem, quam que suppetat ad commodè & bene viuendum: neque enim iusta causa videtur subesse, vt in eo voti vinculum omni ex parte soluatur. **R**espondeo nihilominus, cum pensio maior est, quam par sit, tota Religioso conceditur, vt inde sibi ad viuendum consulat, & reliquum in pios, aut bonos vsus infumat. Nam etsi in data Pontificia facultate id minimè exprimitur, videtur tamen subintelligendum, cum pensio non detur, nisi ad victum honestum, & commodum: ergo hoc ipso, quo maior est, conferri Monacho, vel Religioso tacite videtur ea lege, & conditione, vt reliquum in bonos vsus impendat, quos tamen ipse maluerit.

**D**ecimo queritur, An Religiosus Romani Pontificis concessu testamentum condere queat? Hæc questionem tractat Nauarr. in *Comment. 2. de Regularib. num. 57.* Quidam negant ea ratione, quod Romanus Pontifex nequeat Religiosum à voto paupertatis absoluerre. Alij vero (in quibus sunt Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, & alij) affirmant in c. *Cum ad Monasterium*, de *statu Monachorum*, id posse Pontificem, iusta tamen, & graui ex causa, vt testatur Nauarrus cum Franco in *Rubrica, de Testamentis.* Alij demum id absolute & simpliciter posse Pontificem posse asseuerant, cum ad id (inquiunt) nulla relaxatione sit opus. Potest enim Religiosus, dum viuatur, bona alicui donare Romani Pontificis consensu, ergo etiam moriens idem poterit, eadem auctoritate suffultus; & sicut in primo votu paupertatis relaxatio non est, ita nec in secundo. Verum enim uero isti vehementer falluntur. Non enim idem est aliquid donare nomine alterius, quod iure, facultate, & potestate donare, quamuis ab alio imperata: qui enim nomine, vel consensu alterius donat, nihil iuris habet in eo, quod donat: & proinde Religiosus, hoc modo, donare aliquid potest, eius nimirum nomine, vel consensu, qui est rei donatæ dominus. At verò testari, seu legare, est iure bona in alterum transferre. Religiosus autem iuris acquirendi capax non est, & ideo testamentum facere nequit, nisi legitima auctoritate paupertatis votu vinculo solutus. Fatemur itaque



Pontificia potestate solemnè paupertatis votum relaxari posse iustis de causis, & proinde Religiosum Pontificia indulgentia, & privilegio posse testari. Quo fit, ut Abbatis auctoritate Monachus testamentum facere nequeat. Obijcies, idem Monachus in vita, annuente Abbate, potest aliquid modicum donare, ergo & in morte. Finge enim tibi, Monachum sui Abbatis concessu, ex libris aliaque suppellectili facultatem habere, aliquid, quod paruum & exiguum sit, donandi, dum vivit; quid ni etiam in morte illam habebit? Respondemus, nequaquam inficiari nos, id modicum in morte Religiosum posse donare Abbatis cōsensu, quod potuit in vita eodem annuente: non tamen fateatur Abbatis concessu eum posse testari, quoniam testamentum est ius & facultas, qua testator declarat, quod post obitum de suis bonis fieri velit, quod ius nequit Abbas conferre, bene tamen Romanus Pontifex. **ROGABIS**, quibusnam Religiosis eam tuta conscientia facultatem concedat Romanus Pontifex? Respondet Nauarrus loco citato, quatuor quinque esse Religiosorum genera. Aut enim communiter in cenobijs vivunt: Aut extra Monasterium, beneficium regulare possidentes, certæ alicui Ecclesie præsent: aut Superiorum permisso extra Cœnobija vivunt, debitis sibi alimentis suppeditatis: Aut Romani Pontificis auctoritate extra Monasterium degentes vivunt & sustentantur, ex his, quæ sua ipsi industria, labore, & opera, aut ex elemosynis acceptis aut ex pensione ritè & legitime impetrata comparant. Aut denique sunt Militarium Ordinum Religiosi, qui vulgo commendatarij dicuntur. Primi generis Religiosis nullam solet Pontifex facultatem testandi cōcedere, quia nulla iusta causa subesse videtur eius concedendæ, quamvis Religioso (teste eodem Navarro) si insignis alioqui pietatis & doctrinæ vir esset, & optimè de Republicana meritis, iure ea facultas cōcederetur ad testandū de ijs bonis, quæ sua ipse industria, labore, & opera comparasset. Cæteris, inquit idem auctor, Religiosorum generibus Romanus Pontifex potestatem facere consuevit. Quicquid sit de Pontificia potestate, certi iuris est, sine iusta, & gravi causa facultatem concessam non valere: eo quod sine debita & iusta causa voti relaxatio sit irrita & inanis, ut propterea optimo iure Pontifices soleant etiam huiusmodi facultates antecessorum beneficio obtentas, renuocare. **ROGABIS**, Quando Pontifex tribuit Religioso facultatem liberè testandi de ijs bonis, quæ possidet, quo pacto ea facultas data, accipi & intelligi debeat? Respondent quidam esse intelligendam, ita ut alioqui cum iure communi conveniat, atque consentiat. Neque enim Pontifex generatim aliquid cōcedens, iuri communi derogare cōsetur; & idcirco huiusmodi facultas trahi non debet ad ea, quæ iuri communi aduersantur. Et proinde non poterit Religiosus testari ad suos parentes, fratres, cōsanguineos, aliosque propinquos ditados, nec ad dandum ijs, qui alioqui bonis abundant, nec ad vanos alios usus, ac superfluos, sed ad pios vel bonos duntaxat, qui quidem ipsi magis placuerint. Et id significatur his verbis, *liberè testatur*. Alij facultatem interpretantur, latius videlicet, ut Religiosus testari possit, in usus quos

voluerit, viles quidem & bonos, quamvis non pios.

### Cap. X.

#### Quinam acquirat id, quod Monachus Religionem professus acquirat.

**P**rimò quæritur, An Religiosus, quod ad contractus attinet, vel quasi contractus, in acquirendo æquiparetur seruo? Respondet in cap. Cùm olim. 2. de privileg. Innocentius, cuius sententia omnium consensu recipitur, æquiparari, cum seruo, tum filiofamilias; hoc est, iura omnia, quæ de seruo, & filiofamilias loquuntur in iure aliquo acquirendo, habent quoque locum in hominibus religionem professis, dummodo in illis etiam sit eadem ratio, eisdemque eadem iura possint commodari, ut ait Baldus in l. Seruus, c. Communia, de iur. cessionibus. Decius in l. Cùm fundus, §. Seruus, ff. de reb. credi. Ex quo creditur, ut quemadmodum seruus, aut filiusfamilias non sibi, sed Domino, aut patri acquirat, ita etiam Religiosus non sibi, sed Monasterio acquirat. Et sicut is, qui liberum hominem mala fide tanquam seruum possidet, nihil sibi ex eo acquirat: sic etiam Monasterium sciens Monachum non esse verè professum, nihil ex eo potest sibi comparare. Bartholus, quem citat, & sequitur Nauarrus, Comment. 2. de Regularib. num. 3. Nam liber homo male fidei possessori non acquirat: & Monachus in vno Monasterio professus, & bona fide possessus ab altero, acquirat Monasterio bonæ fidei possessori, quicquid industria, arte, vel opera sua quærit: cætera, quæ aliunde habet, acquirat Monasterio, cuius est Monachus. Bartholus, quæ refert Nauarrus loco citato.

**Q**UÆRES, an si quem dolose Abbas ad professionem admiserit, ut eius bona ad Monasterium deuenirent, ea Monasterio acquirantur? Respondet cum Abbate, quem citat, & sequitur Nauarrus in Comment. 2. de Regularib. num. 31. non acquirat, sed ea bona ad heredes ab intestato pertinere, tamen si Monasterium Abbatis dolo minime consenserit: in hoc enim Abbas Monasterio obesse quidem, non tamen prædesse potest. Professio tamen rata est & firma, dummodo talis dolo non sit, ut liberam Monacho voluntatem adimat. Ita Nauarr. *ibidem* ex c. Constituit. 20. q. 3. & ex Glossa in eodem cap.

**S**ecundò quæritur, An Religiosus absque Superioris consensu in re sibi legata suum assensum præstare queat? Respondet, minime, quia eius voluntas est Superioris voluntati subiecta. Si tamen rem sibi donatam acceptam habeat, rata est, & firma donatio, & res Monasterio acquiratur.

**T**ertiò quæritur, An si aliquid sit Monacho relictum, ea conditione, ut nihil Monasterio acquiratur, donatio vim & locum habeat? Hanc quæstionem tractavit Abbas in c. Monachi, de statu Monachor. Bartholi sententiam secutus in Aulben. Excipitur. c. de bonis, quæ liberis. Eam etiam quæstionem tractat Syluester Religio. 8. q. 5. Bartholi autem sententia est: eiusmodi conditionem, nisi eam rectè interpretemur, aliquid impossibile continere, nimirum, ut aliquid sit Monachi, quod Monasterio minime acquiratur: & pinda talis conditio videtur

dona



donationem vitare, ex lib. vbi pugnatis. ff. De Regul. Iuris. Addit tamen supradictus Auctor, ea verba sic intelligi debere: Relinquo Titio monacho hæc, & illa bona, ita tamen, ne Monasterio acquirantur, hoc est, vt Monasterium patiatur, ac sinatorum bonorum Titium administrationem habere, siue, quod idem est, vt Titius administrationem, & vsum habeat; Monasterium verò dominium, & proprietatem acquirit. Ac rursus, vt Titius habeat administrationem, & vsum, quæ ramen ad nutum Abbas possit, quando voluerit, reuocare. Interrogabis, quid sit iudicandum, si in conditione exprimitur: vt nihil iuris Monasterio acquiratur? Respondet Bartolus, etiam tunc ratam, & firmam donationem esse: debet enim intelligi: vt nihil iuris sibi Monasterium acquirat, quod scilicet ad vsum & administrationem pertineat. Rursus percunctaberis, an donatio consistat, si Abbas suum nolit assensum præbere, vt Titius Monachus habeat administrationem, & vsum? Respondeo cum Abbate donationem nullius esse momenti, quia conditio non impletur, quæ erat, vt Titius consentiente Abbate administrationem, & vsum haberet, res itaque, eæ conditione Monacho donata, ad institutum pertinebit hæredem.

Quarto queritur, An professus Religionem in vno certo Monasterio, acquirat illi, an alteri? Respondeo, illi tantum acquirere, vt colligitur ex c. Abbatibus 18. q. 2. Sciendum est ex Abbate in ca. In presentia, de Probationibus, num. 63. iure communi, & iuxta Regulam B. Benedicti, quodlibet Monasterium esse in cura, & potestate Abbatis siue Prioris, qui ipsi præest; & Abbatem subijci Episcopo, vt Superiori, in cuius diocesi Monasterium est constitutum c. Abbatibus, & alijs capitulis, 18. q. 2. vnde iure communi, & antiquo quilibet Monachus acquirat illi Monasterio, cuius est Monachus, non alteri: illius autem monasterij censetur Monachus, cuius est filius, & eius est filius, in quod ingressus est, & in quo professus est Monasticam regulam. Cæterum in ijs Religionum Ordinibus, in quibus multa cœnobîa in vna Prouincia subijciuntur Præfecto prouinciali, & omnia totius ordinis cœnobîa Præfecto generali, Monachus vnus Monasterij ita bona acquirat, vt ea possit Præfectus generalis applicare huic, vel illi conuentui siue Collegio; quia Religiosus non ita proficetur Regulam Religionis, vt fiat filius, & Monachus illius Cœnobij, in quo professionem emisit. Tales sunt ordines Religiosorum Mendicantium. Excipiuntur tamen bona, quæ ita ad Religiosum perueniunt, vt eo ipso, intelligantur applicata certo cœnobio, siue collegio; nam reliqua acquiruntur Ordini, non certo conuentui.

Quæres, An professus Religionem in vniuersum, acquirat Religioni? vt hoc magis explicem, sciendum est, iure communi antiquo, eum, qui intra annum probationis professionem emittebat, in ordine Religiosorum, qui Mendicantes sunt, habens in animo profiteri Religionem in vniuersum, se Religioni generaliter obligasse: Geminianus ex Lapo & Calderino in c. Non solum, & c. Constitutionem, de Regulari, in sexto. Item, tacite professus intra probationis annum per susceptionem habitus, qui tantum professus datur, non il-

li religioni specialiter, cuius habitum susceperit, sed generaliter religioni obligatur, c. Constitutionem, de Regulari, in 6. Simili modo, qui generatim Religionem profitebatur, in manibus Episcopi tribus votis emissis, erat religioni generatim deuinctus c. Quod interrogasti, d. 27. ca. Quæm progenitores 20. q. 1. c. Si idua, d. 27. Quæstio igitur est, an huiusmodi Religiosus acquirat sibi, an Religioni? Abb. respondet in c. In presentia, de probat. num. 64. Feder. secutus in conf. 20. eum acquirere Episcopo, in cuius cura, & potestate vivit, non sibi. Id verò censet ille, quia eum putat esse verè, & propriè Religiosum.

Mihi tamè verius videtur, quod Ioan. Andr. & Archid. tradiderunt in ca. Constitutionem, de Regulari, in 6. eum non esse propriè Religiosum, & propterea sicut si Matrimonium contraheret, peccaret quidem contrahens, sed contractum vim & locum haberet, sic etiam sibi aliquid acquireret, non Episcopo, siue in acquirèdo peccet, siue non peccet, Nau. in Com. 2. de Regulari, 5. Et ratio huius est, quia vt dixi hoc eodem l. c. 4. q. 5. ad fin. Religiosus verè & propriè non est iure communi antiquo, nisi Professus: at in professione mutua & reciproca obligatio est, vt docet Abb. in c. porro tunc, de Regulari, in 10. quare Religiosus Religioni, & Religio Religioso obligatur: ergo vbi nulla Religio alicui obligatur, is Professus Religiosus non est, sed is tantum Religioni generatim susceptus ex voto simplici obligatur, & proinde nulla ipsi obligatur specialis Religio.

Quinto queritur, cuiusnam acquirat Religiosus Franciscanæ familiæ id, quod acquirat? Et questio intelligitur de Franciscanis, qui vulgò Obseruantes, vel Cappuccini appellantur, qui nihil priuatum, & communiter tanquam proprium possidere queunt. c. Exijt, de verb. signif. in 6. & Clem. Exijt, de verb. signif. Questio hanc mouet Nau. Com. 2. de Regulari, num. 3. quia cœnobium bonorum mobilium, aut stabilium minimè capax est: nihil ergo Monasterio acquiritur. Respondet ille, Deo acquiri, cò quod eiusmodi Religiosus, nec sibi, nec monasterio acquirat, & penes donatè rei donatæ dominium non permanet. Nam ille verè donat, & sic abdicat se rei dominio. Quibusdà certè hæc sententia Nau. non placet. Deo enim nihil denudè possumus acquirere, qui summum & absolutum rerum omnium dominium habet, nec vllam rem incipit habere vt suam, quam antea non habuerit; is autem aliquid acquirat, qui id facit suum, quod suum antea non erat. Vnde illis multò probabilius videtur, vt quæ Franciscanus donatæ sibi acquirat, nec sibi, nec Monasterio acquirat, quia tantum comparat; & lucratur vsum, dominium verò, & proprietatem manet penes donatè. Neg obstat, inquiunt, quod obijcitur, donatè verè donasse, nã per donationem dominium transfertur; cum is, qui donat, verè, & absolute donat, & is, cui donat, donationis est capax, eamq; acceptam & ratam habet. Qui Franciscano donat, quod ad eos attinet, donat illi quidem, sed dominium non transferit, quia capax non est is, cui donat. Vnde in his, aiunt, locum habet id quod dicitur: Si non ago quod volo, ago quod possum. Quod significat: Si dominium non trãstero, quod volo, transfero vsum, quæ possum. Quo etiam fit, inquit, vt furtum admittat, qui donatum Franciscanis surripit, quoniã & eis vsum admittit, & dominium ei, qui donauit.



Ceterum non est, quod in hac parte Nauarri sententia refutetur, quoniam solum docere vult, cum dicimus, secundum Canones, & Iura Monachum acquirere Ordini, vel Monasterio, intelligimus eius, quod acquirat, vsum, vel administrationem esse penes Ordinem, vel Monasterium; dominium vero penes Deum: quoniam bona Religiosorum Ordinum sunt Ecclesiastica; bonorum vero Ecclesiasticorum, secundum Nauarri sententiam, de qua alibi dicam, dominium est penes Deum, administratio vero est penes ipsas Ecclesiasticas communitates, siue earum Praefectos, Deus autem est Dominus bonorum Ecclesiasticorum: non quod incipiat aliquid habere, ut suum, quod antea non haberet, sed eo quod res, eo ipso, quod sunt sacrae, religiosae, vel sanctae, desinunt esse in bonis alicuius hominis, nec possunt amplius, quamdiu sacra sunt, esse in patrimonio, vel bonis hominum, ut colligitur ex *Instit. de rerum diuisione §. Nullius*. Et quia Franciscana familia nihil proprium habet priuatum, aut communiter, ideo quod acquirat Franciscanus Religiosus, acquirat, quod pertinet ad dominium, Deo; hoc est, id quod acquirat, incipit haberi in bonis sacris, Ecclesiasticis, & Religiosis, & desinit esse in bonis hominum; quod vero ad vsum attinet, & administrationem, incipit esse in Romani Pontificis administratione, quia ordo tantum habet vsum facti, non iuris.

Sexto quaeritur, cuiusnam Religiosus acquirat id, quod ad Beneficium Ecclesiasticum euectus acquirat ex eius beneficij redditibus? Fingamus Monachum, aut Canonicum Regularem beneficium simplex, animarum curae coniunctum obtinere. Respondeo, eum acquirere iure communi Ecclesiae, cui praestit. Nam *c. statutum, 18. q. 1. n. sanctum* est, ut Religiosus in Episcopatum electus, non Monasterio, sed Episcopo acquirat. Sed idem iuris videtur esse in Religioso ad quodlibet aliud beneficium promotus. **QVAERES**, An Franciscanus ad Episcopatum promotus acquirat suae Ecclesiae ea bona, quae acquirat ex Episcopatu? Respondeo, acquirere suae Ecclesiae, sicut reliqui Religiosi creati Episcopi, acquirunt suis Ecclesijs, non Monasterijs, quia id vniuersim dicitur de omni Religioso ad Episcopatum vel beneficium euecto, *c. statutum est, 18. q. 1.* **SIROGES**, cui acquirat Religiosus ad beneficium promotus ea bona, quae acquirat ex industria, arte, labore, vel opera sua, vel donatione aliorum? *Bartolus in l. Seruus communis, ff. de stipula, ait, acquirere Monasterio, vel Ordini. At Panorm. in ca. in praesentia, de Probat. tradit, eum acquirere Ecclesiae omnia, non Monasterio vel Ordini, & haec est communis opinio, & vera, teste Nauarro in Comm. 4. num. 6. de Regular.*

Septimo quaeritur, cui acquirat Religiosus, qui Romani Pontificis consensu extra Monasterium viuat ex certa pensione in singulos annos sibi assignata? Hanc quaestionem tractat Nauarro *Comm. 4. de Regul. n. 67. & 68.* est igitur quaestio, cui acquirat Religiosus pensionatus? Respondeo, eam pensionem beneficio Pontificis Religioso conferri, ut habeat, unde commodè sustentetur, quapropter is pensionis vsu habet, quo se honestè & commodè eiusmodi pensione sustentet; dominium

verò, & proprietatem pensionis, & fructuum, ad manus Pontificem pertinet, cuius etiam concessu aliquando Religiosus facultatem habet, ut fructus, qui super sunt, impendat in vsum alios honestos & bonos, quos ipse voluerit. Nec solum, quae ex pensione sibi data acquirat, ad liberam Pontificis voluntatem spectant, quod ad dominium pertinet, sed etiam ceterorum omnium, quae sibi iure hereditario, vel donatione, arte, industria, labore, negotiatione acquirat, dominium Romano Pontifici acquiratur, cuius nunc extra Monasterium viuat, vsum vero, & administratio ad ipsum Religiosum, non ad Religionem spectat. Neque enim Ordini, vel Monasterio, cuius fuit Monachus, vel Religiosus, acquiruntur, eo quod legitima auctoritate est ab Ordine, vel Monasterio exemptus, & liber: Neque etiam acquiruntur Ecclesiae, in qua pensionem habet, siquidem eiusmodi bona non veniunt ex bonis, & rebus, hoc est, ex beneficio Ecclesiae, sed ex opera ipsius Religiosi, vel aliunde. Ita Nauarro *loco citato, SIROGES*, quid dicendum, si beneficium sit Manuale; Quid item si sit Regulare Ordini, cuius est Monachus, subiectum? Respondeo, cum Nauarro *loco citato, & Federico, quem ille citat, eum acquirere Ecclesiae, in qua beneficium habet, quoniam Ecclesia, vel est Ordinarius loci subiecta, vel ipsi Ordini, cuius est Monachus; si primum, non acquirat nisi ipsi Ecclesiae, cum fructus ille percipiat ex bonis ipsius Ecclesiae: si secundum, etiam non acquirat Ordini, vel Monasterio, quia satis est, si soluat pensionem debitam Ordini vel Monasterio iuxta id, quod habetur *c. De Monachis, & c. Nauarria, de Praeben. Nec obstat, quod beneficium Regulare sit Manuale, quod videlicet potest Abbas nunc suo Monacho auferre: nam interim dum Monachus à beneficio non amouetur, fructus iure percipit, & sibi, & Ecclesiae acquirat, non Monasterio. Religiosus ergo ad beneficium promotus, quicquid acquirat, siue ex bonis Ecclesiae, & fructibus beneficij, siue aliunde, acquirat Ecclesiae, cuius est minister: Pensionarius vero, quod acquirat, siue ex pensione, siue aliunde, acquirat Romano Pontifici, non Monasterio vel Ordini, cuius est Monachus, quia beneficium non habet. Sed cui acquirunt ij Religiosi, qui creantur Episcopi Titulares, videlicet, qui Sedem, & Ecclesiam non habent? Sotus libro 10. de Iustitia, questione 5. articulo 7. ad 3. eos ait acquirere suis Monasterijs vel Ordini. Mihi vero probabilius videtur, eos acquirere Romano Pontifici, quia sunt à religione soluti & liberi.**

Octauo quaeritur, An Monachus, qui a re oppressus alieno, male est ad professionem admittus Monasterio acquirat, an vero suis creditoribus? Respondeo cum Nauarro *loco citato*. Si, cum professus est Religionem, debitis grauabatur, creditoribus acquirat, si quid sibi arte, labore, & industria, iure hereditario, vel donatione comparat: non enim per professionem quicquam est iuri creditorum derogatum.

Nono quaeritur, An Religiosus extra Monasterium legitime viuens, ius habeat sibi sepulturam deligendi? Ratio dubitandi est, quia idem ius videtur Monachis habere, quod seruus, & filius familiaris; sed hi possunt sepulturam eligere, ergo & Religiosus.



giolus? Respondeo, in cap. Licet, de Sepult. in 6. sic esse constitutum: *Quamuis filius familias absque patris assensu sibi possit liberè eligere sepulturam; pro anima autem sua propter ipsius assensum, nisi peculium castrense, aut quasi castrense, aliquid indicare non potest. Ac deinde in c. seq. statuitur: Religiosi nisi à proprijs Monasterijs adeo forsitan sint remoti, ut ad ea, cum moriantur commodè deferri non possint, nequeunt, cum velle, vel nolle non habeant, sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua Monasteria sepeliendi. Hæc ibi.* Aliud igitur ius est in seruo, & filios familias, atque in Religioso: quoniam in ijs etiam, quæ spiritualia sunt, sicut in cæteris omnibus Religiosus Superioris voluntati subijcitur, seruus, vel filius familias domino, vel patri non item.

Decimò quæritur, cui acquiratur id, quod Religioso donatur, ut id infumat in vsus, quos ipse maluerit? Resp. Religioso aliquid dari posse tripliciter: Aut enim datur ut illud nomine eius, qui donat, erogat in aliquos vsus: & tunc illud Monasterio nequaquam acquiritur, quoniam is, qui donat, non transfert dominium rei, sed eam per Religiosum hominem in certos vsus distribuit: & hoc modo dantur Religiosis pecuniæ restitendæ, aut erogandæ in vsus pauperum. Aut datur aliquid Religioso, ut liberè id consumat, prout voluerit: & id acquiritur Monasterio, quod est bonorum capax. Is enim, qui hoc modo dat, abdicat se dominio, & proinde transfert illud in alterum: & cum Religiosus capax non sit, sibi Monasterium acquirat. Quod si nec illud capax fuerit, remanet penes donantem, non quia non dedit mente, & voluntate transferendi dominium, sed quia nec Religiosus, nec Monasterium ius habet sibi acquirendi. Aut denique Religioso aliquid datur ea lege, ne vquam ad Monasterium pertineat, & de hoc (supra iam dixi), quo pacto illud Monasterio acquiratur.

## Cap. XI.

## An alicuius iuris Religiosus sit capax.

Primò quæritur, An ultimam hominis voluntatem codicillo, vel testamento declaratam Religiosus exequi queat citra sui Superioris consensum? Vbi duo quærentur. Primum quidem, An si Religiosus testamenti executor instituat, suum tuta conscientia ad id consensum accommodet, absque Superioris assensu: Alterum verò, an iure id exequatur citra eiusdem Superioris consensum. De hac quæstione Silu. testam. 2. q. 2. Resp. in c. Religiosus. De Testam. in 6. sic esse sancit: *Religiosus exequatur ab aliquo in sua voluntate ultima deputatus, non potest, cum velle, vel nolle non habeat, huiusmodi officium suscipere, vel exequi, nisi à Superiore suo petita super hoc licentia, & obtenta. Et idem penitus repetitur in Clem. Religiosus. de Testam.*

Quæres, an si Religiosus in id oneris sibi impositi consentiat, & quod promissit, exequatur absque villo Superioris assensu, sit ratum, quod facit? Bartholus, Antonius Butrius, Felinus & Romanus, quos citat Siluest. loco citato affirmant ratum, & firmum esse. Siluester aliorum secutus sententiam, quam dicit esse communem, negat. Aut enim alijs magis probatur prima sententia. Ius enim præhabet, ne Religiosus id muneris suscipiat, vel ne exequatur absque voluntate Superioris, non tamè factum rescindit, & irritum reddit. Ut enim Superiore annuente, tunc Religiosus (qui Franciscanus non sit) id muneris obit, ac facit, ita eodè Superiore abnuente, si quod promissit, præster, & impleat, peccat quidem, sed ratum tamen est, & firmum, quod gerit. Quæres, quid sit dicendum, cum Titius Religiosus, institutus est à Caio testamenti executor tempore, quo cœ nobis Prefectus decesserat, Quisnam Titio concedet, uti testamentum exequatur? Archid. in c. Religiosus, de testam. in 6. ait id posse Episcopum concedere. Paul. verò in eo c. censet ad Conuentum hoc ius pertinere: Ioann. Andr. ibid. rem, ait esse differendâ vsq; ad noui Superioris electionem. Deinde rogabis, an si Superior concesserit, ut Titius testamenti sit executor & re integra, hoc est, non dum perfecta, datam facultatem reuocauerit, Titius salua conscientia proficiat, quod ipse iam coeperat? Resp. Superiorem quidem reuocando malè agere, sed Titium nihil amplius exequi posse, ut ait Gloss. in eo c. cit. quamuis fieri etiam queat, ut iussis de causis semel concessa facultas reuocetur, qua reuocata sine iure, siue contra ius, testamentum nihilominus per collegam executioni mandari debet: qui si institutus non sit, Episcopi auctoritate est constituendus. Postremò, si roges, quid dicendum, si Caius testator, quamuis Titium Religiosum sui Testamenti executores minimè instituerit, mandauit tamen, ut omnia eius voluntate, & consilio gererentur, an in ea re requiratur etiã Superioris assensus? Paul. loc. cit. respondet, Si Caius præcepit, ut omnia fierent nutu, & voluntate Titij Religiosi, perinde est ac si eum sui Testamenti executores instituerit, ac proinde necessarius est Superioris assensus. Si verò id solum voluit, ut omnia fierent consilio Titij, nullus exigitur Superioris assensus, & sufficit, si Testamenti executores Titij consilium petant, neque enim id sequi coguntur.

Secundò quæritur, An Religiosus possit esse fideiussor? Resp. minimè, citra Superioris, & Conuentus consensum c. quod quibusdam. de fideiuss. Nam fideiussor alienam obligationem in suam fidem recipit principali nihilominus debitore obligato. l. 1. c. 2. ff. de fideiuss. Inst. in princ. de fideiuss. Is autè solummodo fideiubere potest, qui liberam suorum bonorum administrationem habet. Hinc est, ut si Religiosus in scio Superiore, vel reuente se pro alio fideiussorem constituat, fideiussio sit irrita, & inanis, cum nihil proprium habeat, quod alteri obliget. Et Conuentus nihil debet soluere, si Religiosus, vel mutuo pecuniam accepit, vel pro alio fideiussorem se constituit, sine Superioris assensu: nisi pecunia mutuo accepta fuerit conuersa in rem, & utilitatem Monasterij vel Ordinis, ut dicitur in cap. citato quod quibusdam, ex l. 1. c. 1. si pro parte. ff. de in rem verso. eadem ratione ex furto Monachi Monasterium non obligatur. Nauar. Com. 2. de reg. n. 62.

Tertiò quæritur, An Religiosus aliquorum, præsertim miserabilium personarum, tutor esse queat? Resp. absque Superioris assensu expresso, vel tacito, nec eam prouinciam suscipere, nec obire posse. Quippe Religiosus, nec bona possidet, quæ administranda tutela vlli obligationi subijciat, nec cum Religionis onere tutelæ administratio geri potest: quapropter si in eam consentiat, totum est irritum, & inane quod gerit ea. vlt.



dist. 76. Consensu tamen Superioris potest religiosus tutelam suscipere. c. Monachi 16. q. 1. De hac quaestione Silu. titel. q. 3.

Quarto queritur, An religiosus aliqua ratione possit sibi sepulturam eligere? Hanc quaestionem Superiori capite diluimus. q. 9.

Quinto queritur, An religiosus citra Superioris voluntatem, alicui promittendo se obligare queat, & an promissum prestare debeat? Resp. nec posse, nec debere. Nam quemadmodum seruus & filiusfamilias ciuilitate se alteri obligare nequeunt, bene tamen naturaliter: sic etiam religiosus ciuili obligatione nulli se obstringere potest, sed tantum naturali, & tunc quidem devincere se alteri nequit, nisi in his, quae facile & commode prestare per seipsum potest. In quibus etiam promissio eatenus rara est, & firma, quatenus a Superiore minime improbat. Nam quauis ipse promiserit, ius tamen habet Superior, si voluerit, rescindendi promissum.

Sexto queritur, An fideiusor pro religioso acceptus vlla obligatione teneatur, & an pignus, si pro eodem Religioso detur, possit iure esse obligatum? Finge tibi Caium religiosum aliquid accepisse mutuo comoditate, pro quo Titius se fideiusorem constituit, aut pignus dedit, queritur, an Titius Caio obligetur? item, an pignus, quod Titius dedit, sit Caio iure obligatum? Respondeo, idem planè iuris esse in Religioso, quod in seruo. Porro in l. Naturaliter. ff. de condic. indeb. statutum est: Naturaliter etiam seruus obligatur, & ideo si quis nomine eius soluat, vel ipse manuissus ex peculio, cuius liberam administrationem habeat, repeti non poterit; & ob id, & fideiusor pro seruo acceptus teneatur, & pignus pro eo datum, obligabitur. Haec ibi. Quare idem penitus de Religioso dicendum: nam fideiusor pro eo acceptus, & stare promissus debet, quod si soluerit, repetere nequit, & pignus pro eo datum similiter obligatur.

Septimo queritur, An religiosus à Superiore iniquè tractatus, vexatusque, tuta conscientia è Monasterio exeat eodem Superiore incio, aut inuico? Respondet Nauar. in Com. 3. de Regular. num. 51. id posse tuta conscientia facere, nec esse religionis desertorem; dummodo id faciat alium Superiorem adeundi gratia, cuius auctoritate ab iniqua oppressione liberetur ex Bal. in cap. ad nostram, de appellat. Nec in apostatae poenas incurrit. Nam ius habet se tuendi: & eo ipso, quo egreditur, ut alium Superiorem adeat per fugij causa, eum tacite videtur appellare. Si obijcias contra Nauarrum Concil. Tridentinum sess. 25. capit. 4. De Regular. vbi praecipuum est, ne vlli Religiosi à suis conuentibus recedant, etiam causa adeundi Superiorem sine licentia in scriptis obtenta. Respondet ille loco citato, & Couanen. 2. de Regular. n. 61. solum praecipuisse Concilium, ne Religiosus exeat è Monasterio sine causa iusta, praesertim cum secundum Glossam in c. Cum pastoris, 2. q. 7. argumento sumpto ex c. ex parte, de accusat. consensus ab eo petendus non sit, qui vexat iniquè, vel cuius culpam corrigendam & emendandam curamus, eo quod contra lege: & iura, & fas omne vexat.

Ceterum maxime sunt in hac re annotanda verba Concilij, cum ait: Nec liceat Regularibus à suis conuentibus recedere, etiam pra-

textu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine praedicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinario locorum tanquam desertor sui instituti puniatur. Sic etiam ibi. Et Sixtus Quintus Constitutionem edidit, quae incipit, Cum de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus, anno millesimo, quingentesimo, octogesimo septimo, vbi praecipit ut Regulares de vna provincia, ad aliam sui Ordinis transeuntes Superiorum licentiam secum deferant, alioqui hospitio recipi nequeant, & possint ab Ordinarijs locorum, ut suspecti desertores sui instituti capi, & in carcerem mitti. Unde praedicta Nauarri sententia, non videtur locum habere, nisi quando certò & euidenter constaret Religiosum à suo Superiore iniquè contra fas, & ius omne vexari, nec aliud remedium habere, nisi à Monasterio recedendo suum Superiorem adierit, ut seipsum possit apud illum tueri, quatenus ius naturale, concedit: & non aliter.

Octauo queritur, An sit ius Religioso ad alium Superiorem prouocandi, cum male tractatur, aut cum seniore a quo disciplinam subire compellitur? Hanc quaestionem tractat Nauarrus Commentariis tertio, numero quinquagesimo primo, de Regularibus. Et respondet, liberum esse Religioso appellare: nam prouocandi seu appellandi Superiorem facultas iure naturali conceditur, quare nulli vnquam est deneganda, nisi id iure prohibeatur: id nullo iure communi est interdicitum. Deinde, Appellatio est quaedam proprii iuris defensio, l. 1. ff. de Appellationibus, & Capite, cum inter, de exceptionibus, ac quisque lege naturali ius habet seipsum tuendi. Accedit, quod in capite, De Priore, De Appellationibus, praecipitur, ut grauius puniatur Prior, qui appellationem ad Romanum Pontificem non admittit: & ex Glossa colligit Decius in eo capite, Religioso licere non solum in causa ciuili, vel criminali appellare, sed etiam causa correctionis: docet item Panormitanus in capite citato, & capite, Licet, de Offic. Ord. plus a quo Abbate in Monachos saeuente, licere eis è Monasterio fugere, solummodo, ut se tueantur apud Superiorem, ad quem confugiunt à Monasterio recedendo. Si opponas id, quod iam dixi, decretum Concilij Tridentini, sessione 25. cap. quarto, de Regularibus: respondet Nauarrus loco citato, non prohibere concilium, quo minus Religiosus appellet Superiorem, si iusta sit appellatio; haec enim iuris est naturalis: sed prohibere, ne è Monasterio recedat, praetextu ad suos Superiores accedendi. Neque enim idem est appellare Superiorem, quod à Monasterio exire praetextu adeundi Superiorem: cum possit Religiosus Superiorem appellare, quamuis à Monasterio non recedat. Et quod addit Panormitanus tuteò Religiosum è Monasterio fugere cum in eum plus a quo Superior sauerit, locum solum habere potest, ut paulò ante dixi, quum certò, & euidenter constiterit Superioris saeuitia, & aliud remedium non fuerit, nisi adirus ad Superiorem, prout est iure naturali concessus. Oppones deinde, Cap. ad nostram, de appellat. sic habere: Reconditum appellations non ideo est inuentum, ut alicui à Religioso Ordinis obseruantia exorbitanti debeat sua nequitia pa-



trocinium exhibere, & in cap. Reprehensibilis, De appellati-  
oni dicitur. Nec subiecti contra Ecclesiasticam disciplinam  
in vocem appellationis erumpant, nec Religiosi cum pro ali-  
quo excessu fuerint corrigendi contra Regularem Prælati-  
suis, & Capituli disciplinam appellare præsumant: sed humi-  
liter & deuote suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem  
iniunctum. Insuper passim dici solet, Inter regula-  
res, nec appellari, nec appellationes admitti de-  
bere. Postremò, Religiosorum statuta solent pro-  
hiberi appellationes, & appellantes ipsi in car-  
ceres detruhi, & graui poena puniri, Respondet  
idem Nauarrus loco citato, in iure Canonico re-  
ligiosos prohiberi ab iniusta appellatione, non  
autem à iusta, & legitima, qualis est ea, quæ refer-  
tur ad iniquam vexationem depellendam: nec  
statuta sunt iusta, nisi quæ prohibent iniquam ap-  
pellationem. Quo fit, vt religiosi iuste appellan-  
tes ad propulsandam sibi illatam iniuriam, nec  
iure in carcerem mitti, nec impedire queant,  
quo minus appellationem iustam prosequan-  
tur.

Nonò quæritur, An religiosus citra Superio-  
ris assensum tuta conscientia consentiat in ele-  
ctionem, qua ab externis constituitur procura-  
tor, administrator? Respondeo, minimè, sicut  
nec licet ei constituere, vel substituere Procura-  
torem absque eiusdem Superioris arbitrio, Cle-  
ment. Religiosus, De Procuratori. quamuis Abbas, vel  
alius religionis Præfectus, procurator alterius  
esse queat, vt Glossa ibidem annotauit. Idem iuris  
similiter habet Religiosus in Præfectura, aliadè  
administratione, aut in regulari Beneficio con-  
stitutus. Quod autem religiosus procuratorem  
constituere nequeat intelligitur in temporalib.  
quorum capax non est, nam in spiritualibus qui-  
busdam potest, veluti in iure intra Monasterium  
manendi, & viuendi, & ad illud redeundi, aut in  
iure, & facultate suffragium ferendi confessus, in  
comitijs, aut in iure eligendi, aut sedèdi in Cho-  
ro, aut in iure alimenta, vel impensas à Monaste-  
rio exigendi, & percipiendi: No tamen, vt ipse eli-  
gatur sine superioris voluntate: sui enim electio-  
nem acceptam, & ratam habere nequit in scio  
superiore: quamuis postquam eo annuente, ac-  
ceptam habuerit, ius habeat agendi absque alio  
superioris consensu, vt colligi potest ex cap. Quo-  
rundam, & Cap. Si religiosus. De elect. in 6. Et docet Na-  
uarr. in Comment. 2. de regular. num. 64. Eodem quoque  
modo religiosus habet ius accusandi superio-  
rem in his, quæ iure conceduntur, cap. Ex parte, De  
Accusationi. qua ratione potest agere, ac se defen-  
dere, vt si superioris assensu absens litteris det o-  
peram, alijsue rebus intendat: tunc enim tacita  
superioris voluntate potestatem habet contrahè-  
di, & agendi ex contractu studij literarij causa in-  
nito, & agendi quoque contra eum, pro iniurijs  
sibi in eo studio factis, eo quod tacite sibi conce-  
dantur iura ad studium, vel rem alià necessariam,  
vt ait Nauarr. Comment. citato, num. 65. Non ei tamen  
iure permittitur, vt agat contra suum superiorem,  
qui ipsum Beneficio regulari absque malo ani-  
mo priuauit, quamuis contra alium suo eum Be-  
neficio spoliantem agere possit, & contra suum  
quoque superiorem, si eum malo animo à Benefi-  
cio dimouerit. Quæres, an possit agere, quando  
superior est absens, ad quem commodè non pa-

teat accessus, & ex mora periculum imminet?  
Respondet Nauarrus loco prædicto, ex sententia  
Speculatoris, Butrij, ac Panormitani, Cardina-  
lis, & Imolæ posse, idemque iuris esse, quando  
Abbatis obitu Cœnobium vacat.

Decimò quæritur, An religiosus stipendium  
postulare queat pro labore suscepto? Quidam, è  
quorum numero videtur esse iohannes Andreas,  
teste Nauarr. in Comment. citato num. 66. opinantur  
id ei minimè licere etiam Abbatis arbitrio, &  
concessu, V. G. religiosus ante ingressum in reli-  
gionem Aduocati munere fungebatur; postea  
verò superiore annuente in re aliqua graui suo,  
aliquem patrocinio defendit tuta conscientia  
inquit, non potest sui laboris stipendium exi-  
gere, & idem, aiunt, esse dicendum de religioso,  
si publicè doceat. Alij verò censent hoc ei esse li-  
citur superioris assensu qua ratione potest eti-  
am esse patroni, vel alterius de Cœnobio bene-  
meriti procurator, dummodo tamen hic reli-  
giosus non sit sacris Ordinibus initiatus. Sic Na-  
uarrus loco citato.

Vndecimò quæritur, An Monasterium ex de-  
licto, vel contractu Monachi teneatur? Respon-  
deo, minimè, nisi duæ conditiones adsint, nimi-  
rum, si Monachi contractus ad Monasterium per-  
tineat, vel res in ipsius Monasterij utilitatem  
cesserit, aut si Monasterium Monacho admini-  
strationem commiserit. Quæres, an si Monach-  
us extra Monasterium legitima à superiori  
habita facultate, studiorum causa contraxerit, vt  
puta libros, vel alias Monasterij res pro mutuo  
accepta pecunia obligauerit, Monasterium tene-  
atur? Sunt qui negent teneri. Sed Nauarrus in  
Comment. 2. de regular. num. 30. 31. 32. putat oppositum  
verius esse, si se pro necessarijs impensis obstrin-  
xerit. Quoniam quemadmodum Monasterium  
teneatur, si res contracta in eius commodum ver-  
tatur: vt docet idem Nauarr. Comment. 2. de regular.  
num. 30. Cardinalem sequutus in Clement. 1. §. quia  
verò, quest. 6. de statu Monachorum, sic etiam obliga-  
tur pro impensis studio necessarijs, eo quod Mo-  
nachi studium Monasterij multum interfit: Quæ-  
res si Monachus rem, de qua contraxit, apud se ha-  
beat, vel ex ea commodum reportauerit, siue  
lucrum fecerit, potest coram Iudice loci ordina-  
rio contineri: quod rectè Panormitanus anno-  
tauit. Ex delicto verò Monachi, Monasterium  
minimè obligatur, vt colligi potest ex cap. Delicta,  
De Regul. Iuris in 5.

Duodecimò quæritur, quid sit dicendum, Si  
contra Monachum agatur, ex obligatione ante  
ingressum in Monasterium contracta, An in  
personam Monachi concipienda sit actionis  
forma, an verò contra Monasterium? Respon-  
deo, contra Monachi personam, eo quod cum eo  
est contractum, & obligatio inhæret personæ,  
quæ quidem obligatio per religionis professio-  
nem tolli non potuit. Si verò condemnationis  
sententia est executioni mandanda in religiosi  
bonis; tunc actionis forma in Monasterium est  
concupienda, in quod bona Monachi transue-  
re. Item, sicut ratione contractus ante ingressum  
in religionem initi coram Ordinario loci Mo-  
nachus cõuenitur, sic etiam ratione delicti ante  
ingressum in Monasterium admisi.



Decimotertio queritur, An Religiosus extra Monasterium degens legitimo Superioris concessu tuta conscientia elemosinas aliquas in pauperum usus largiri queat? *Respondeo*, posse ex his, quæ sibi ad vitam necessaria conferuntur, eo, quod tæitè videtur eiusmodi facultas sibi concessa, nisi de mente, & voluntate Superioris aliud constet, aut nisi Religiosorum mos, & usus aliud præscribat: aut nisi donet contra id, quod habetur in Pontificia constitutione S. D.N. Clementis VIII. quâ supra c. 9. §. 5. ad verbum citavi.

Cap. XII.

*De peccatis quibus violatur Paupertas, aut Castitas Solemni Religionis voto promissa.*

**A**nimaduertere oportet, Religiosum, vel contra votum Paupertatis, vel Castitatis aliquando delinquere. In cap. *Monachi*, *De statu Monachorum*, ex Concilio Lateranensi constitutum est, ut *Monachus, qui peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit iniuncta administratione permissum, à communionemoveatur altaris: & qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, & dignè non penituerit, nec obligatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam. Quod etiam de vniuersis Religiosis prætipimus obseruari. Hæc ibi.*

Primo queritur, in quibus religiosus votum violat Paupertatis: id est. Quid nomine Proprij intelligatur, cum dicitur, Nihil proprium posse religiosum habere? *Respondeo*, Proprij appellatione non solum intelligi dominium, & proprietatem rei, sed etiã usum, & usum fructum, possessionem, administrationem, prout sunt iuris, non facti. Est enim sciendum, Dominium siue Proprietatem esse ius perfectè, & liberè statuedi de re corporali, nisi fuerit lege prohibitum. vnde definitur in hunc modum: dominium est ius, quo quis rem aliquam habet, possidet, & ea frui, & uti potest non alieno, sed nomine suo. Nam Oeconomus, Procurator, administrator videntur iuste re domini, sed non proprio, sed alieno nomine. Vsufructus verò, est ius, quo quis potest rei fructus impendere, ut vult, salua substantia rei: ita ut possit arbitratu suo rei fructus locare, vendere, donare. *Glossa in l. 1. ff. de usu, & habit.* Vsus est ius, quo quis potest in propriu suu commodum tantum uti fructibus, rei salua substantia. *Institit. de usu, & habit. §. 1. vnde vsuarius iure pot sumere non solum quantum sibi expedit, sed etiam quantum expedit familie suæ. L. plenim, ad finem. ff. de usu, & habit.* Possessio verò, ius est insistendi rei corporali, à qua possidenda non prohibemur. *Hostien in sum. & Azo. in sum. tit. de acqui. ren. & res. posses.* Administratio, ius est, quo quis potest apud iudices agere, & conuenire aliu de re aliqua, & de ea extra iudicium statuere: ita ut si libera, & legitima potestas siue facultas agendi. *Inno. in c. ex literis, de prob.* Hæc igitur quinque, prout sunt iuris, significant aliquid proprium, quoc quis habet, & administrat nomine, & arbitratu suo sine consensu, & voluntate alterius. Sicut etiã Habitatio, prout est iuris, ius est, quo quis potest in domo aliqua habitare: & Actio est ius agendi: Hæreditas est ius succedendi in bonis alterius. Aliquando tamen Vsus, & Possessio sunt facti, non iuris: Et tunc hæc in seruum, filium fa-

miliam, & Monachum verè cadunt, eo quod qui facti tantum usum, habitationem, vel possessionem habet, nihil proprium retinet, quia illud habet nutu, & voluntate, aut nomine alterius: nam hoc modo etiam commodatarius, depositarius, colonus habent rei possessionem.

Rursus animaduertendum est, nomine Dominij, aut Proprietatis intelligi etiam Quasi dominium, vel Quasi proprietatem: est enim, ut docet *Glossa in c. conquestus, de foro compet. & in l. sequitur. §. Si vnica. ff. de vsucap. & l. 3. ff. de acqui. poss.* Dominium, vel Proprietas rerum corporalium, Quasi dominium verò, vel Quasi proprietates rerum incorporalium, cuiusmodi est Beneficium Ecclesiasticum, Iurisdictio, Ius nominandi, designandi, offerendi clericum in Beneficio instituendum, eligendi, confirmandi, instituendi, visitandi, & conferendi, & id genus alia. In quibus etiam Proprietas à Possessione distinguitur, ut in Iurisditione, *cap. licet casam, de Probationibus.* in iure eligendi, *cap. cum ecclesia, de causa posses.* in iure conferendi, *cap. cum in super, de causa posses.* in iure visitandi *cap. cum ex officio. De prescriptionibus.* in iure præsentandi, *cap. consultatibus, de iure Patronatus.* Pari ratione, Possessionis nomine accipi etiam solet Quasi possessio, ita ut possessio sit ius insistendi in re corporali, Quasi possessio verò, ius insistendi in re incorporali. Præterea voce Dominij accipitur, tum dominium directum, tum vile.

Religiosus igitur ratione Paupertatis voto solemniter promissæ caret omni bonorum dominio, vel quasi dominio, proprietate, vel quasi proprietate, dominio item directo, & vili; vsu, vel vsufructu, possessione, vel quasi possessione, quæ quidem omnia sunt iuris, non facti. Denique voto Paupertatis continetur abdicatio pecuniæ & cuiuslibet rei pecuniæ æstimabilis. Nam in iure, vocabulo Pecuniæ non solum venit numerata pecunia, sed etiam res omnes, tum stabiles, ut agri, & domus, tum se mouentes, & mobiles, ut corpora, tum iura, ut obligationes, actiones.

Secundo queritur, An religioso, quod attinet ad Paupertatem, repugnet vsus rerum pecuniæ æstimabilium, qui solum est facti? *Respondeo*, ut ex quaestione Superiori constat, certi iuris esse, repugnare omnino vsu, qui est iuris: nam qui talem vsum habet, eo ipso, proprium habet, cum habeat ius vtendi re, in suum commodum pro arbitratu suo. *Silu. ex communi sent. in verbo Religion. 6. quaest. 7.* hoc tanquam certo posito. Præcipua quaestio nobis est de Vsu, qui est facti. Et sic potest dupliciter accipi. Primo ut est vsus quidam, quo Religiosus vitur re abique Superioris nutu, & consensu expresso, vel tacito. *Deinde*, ut est vsus quidam, quo vitur re pro Superioris permisso, & nutu expresso, vel tacito, & hic vsus cum voto Paupertatis non pugnat. Non quod qui vsu facti habet, proprium per se aliquid habeat, sed quod iure communi is, qui in Religione approbata voto Paupertatis emitit: abdicat omnem vsu rei, perinde, ac si tacitè promittat omne rebus vsurum, renuente aut nesciente Superiore, ut in sinuant *Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, Antonius, Ancharanus, & cæteri in cap. cum ad Monasterium, de statu Monachorum.*

Archidia.



Archidiaconus, Turrecrem. Præpositus in cap. non dicitur. *re. quest. 1.* Angelus, Silvester, Tabienfis, & reliqui Summi in verbo Religio. Hanc tamen sententiam refellit Maior in 4. dist. 38. q. 9. quia ex ea concluditur Religiosum nunquam contra votum paupertatis peccare, si rebus utatur quomodolibet, hoc est, si res impendat in quovis usus Abbatis permisso. Item consequens esse, ut Abbas, qui Superiorem non habet, nunquam votum paupertatis infringeret, quod tamen est absurdum: sciendum est prædictam sententiam solum docere, contra votum paupertatis facere Religiosum, si rebus utatur absque nutu, & consensu Abbatis, siue Superioris expresso, vel tacito, non tamen docere, sic & non aliter votum paupertatis infringere.

Tertio quaeritur, utrum Religiosus Paupertatis votum violet ab externo nummos accipiens, quibus libros emat, quos apud se retineat in cella? loquimur autem de Religioso, qui nulla Regula, Constitutione prohibetur pecuniam per se, vel per alium accipere. Respondeo: Si in scio Superiore id faciat, videndum esse, an his pecunijs, & libris utatur absque Superioris voluntate expressa, vel tacita, an secus. Si primum, contra Paupertatem delinquit, quoniam vsum sibi vendicat, & retinet. Si secundum, non peccat.

Sed dubia adhuc quaestio est, an si libros ex pecunijs sibi datis emerit Religiosus in scio Superiore, eosque tantummodo vsus gratia penes se retineat, sed palam inter libros ceteros, quos Superioris concessit, & voluntate habet in cella expofitos, censetur vsum eorum habere citra vllum Superioris consensum expressum, vel tacitum? Respondeo, eum nequaquam esse condemnandum tanquam Paupertatis violatorem, quandiu eos tenet in cubiculo palam expofitos omnibusque obiectos: nam quicquid hoc modo Religiosus habet, Superiorum suorum voluntati, potestatique subijcitur: quod si eos omnino Superioribus celet, violata Paupertatis reus habetur. Idem pariter iuris est, si Religiosus ex communi Bibliotheca, aut communi loco aliquid in scio Superiore ad suum vsum, & commodum ceperit: est enim perspicuum, an ea in re tacitus aliquis consensus Superioris inesse credatur, & tunc paupertatis votum servatur, alioquin violatur. Quæres, num votum negligat, si in scio Superiore ex loco publico rem aliquam sibi sumat utendam ad tempus, & deinde in eundem locum restituat? Non mihi videtur is paupertatem violasse, nisi id alioqui fuerit aliunde prohibitum: non enim eo, quod accipit, uti vult, citra omnem prorsus sui Superioris voluntatem, sed ad certos tantum dies, animo, & voluntate illud in eundem locum, unde acceperat, referendi.

Quarto quaeritur, An contra Paupertatem, voto promissam peccet Religiosus, si absque consensu Superioris aliquid donet externis? Respondeo, videndum esse, quibusnam rebus tacitus Superioris consensus subesse credatur, aut subesse iure possit nam quorundam Religiosorum consuetudo Superioribus temporibus erat, ut aliqua externis donaret, parvula scilicet munuscula, præsertim ad cibum, & potum; alia item, quæ ad pietatis, & religionis studium, pertinent, cuiusmodi sunt sacra Reliquia, & Im-

gines Sanctorum, cereæ item Agni imaguncula; necnon & calculi Pontificia auctoritate, & beneficio sacrali. Solebat præterea etiam generali quadam Superiorum voluntate concedi, ut similia in externos conferrentur. Tacitus quoque Superiorum consensus adesse putabatur in quibusdam Religiosorum familijs, cum Religiosus aliquid missus, ad negocia gerenda, vel ad literaria studia, eleemosynarum aliquid largiebatur ex his, quæ ad commodam eius sustentationem spectabant. Pari ratione Superiores Collegiorum, aut Domorum Præfecti nonnulla parva interdum donabant ex bonis, quæ administrabant, ad remunerandum alicuius obsequium, retinendos in amicitia, & benevolentia viros de ipsis Religiosorum Cœnobijs bene meritos, ad aliorum animos conciliandos, ad tuendum, augendum, conservandumque commune Cœnobijs, vel totius etiam Religionis bonum. Sic etiam apud quosdam Religiosos erat in more positum, ut Religionum, Monasteriorumque Præfecti ex communibus bonis quæ possident, in pauperum vsus certam pecuniam quantitatem impenderent. Sed quantum illa deberet esse quantitas, tunc temporis merito dubitabatur, quia alij censebant, in singulis mensibus tuta conscientia ab eis erogari duorum, triumque aureorum summam; alij vero, singulo quoque anno decem, vel duodecim, aut quindecim aureorum quantitatem sufficere. Aliorum vero iudicio, res arbitrio boni viri definienda, & æstimanda pro magnitudine reddituum, & pro multitudine, paucitateque pauperum videbatur. Sed hæc omnia, & alia similia iure optimo abrogantur in Constitutione Pontificia Sanctissimi D. N. Clementis VIII. quam supra c. 9. q. 7. ad verbum retuli: in qua aperte declaratur, quid possint Religiosi privati, quid item superiores donare, & continetur formula, quam servare debeant in quibusdam rebus donandis: ne Religiosorum paupertas aliquo modo enervetur.

Quinto quaeritur, An Religiosus, qui sciente, & consentiente Superiore plura habet, quæ sibi suppetant ad vitam sustentandam, peccet contra Paupertatem? Respondet B. Antoninus, cui assensit Silvester in verbo Religio. 6. q. 7. dist. 4. non quidem contra votum paupertatis peccare, quia nimirum rebus utitur sciente, & annuente Superiore. Nihilominus tamen, & Superiorem male facere, & pariter Religiosum male uti. Ex bonis enim communibus apud Religiosos, nec dari, nec accipi plus debet, quam necessarius cuiusque vsus ac indigentia postulet. Religionum Præfecti summa ope, ac studio niti debent, ut proprietatis vitium, quod est multorum malorum causa, & origo, funditus e Monasterio tollant, & omnes proprietatis rerum occasiones radicitus euellant. Et c. relat. Ne Clerici, vel Monachi, reprehendantur graviter Religiosi, qui seculariter vivunt. At Maior in 4. dist. 38. quest. 9. dicere videtur huiusmodi Religiosum contra votum paupertatis facere: Nam putat ille, in voto paupertatis contineri, ut Religiosus tantum habeat ea, quæ sunt ipsi necessaria ad victum, ad vsusque quotidianos Superioris consensu, & nihil amplius. Certè Antoninus, Silvester, & Maior conveniunt, huiusmodi Religiosum graviter peccare, cum habet superflua, & Superio-

rem non



rem non leuiter delinquere, cum facultatem concedit Religioso, vt plus habeat ad vsus quotidianos, quam par sit.

Ea igitur est laudabilis vitæ Religiosæ cōsuetudo, qua vestes lineæ, pelliceæde, aut cuiusuis generis in communi loco asseruantur, & inde in singulas hebdomadas, menses, vel annos, in vsum cuiusque distribuuntur. Quibus quidam præficiuntur, vt eas custodiant, excutiant, purgent, refarciant, ac renouent. Vbi nullus apud se habet vestes præter eas, quæ ad quotidianum vsum necessariæ sunt, nullus dona ad se missa accipit, vel ad suum vsum adhibet nisi consensu Superiore, & consentiente: nullus apud se pecuniam tenet, præter eum, cui bonorum communium administratio, & cura committitur, nullus item in annu sua in cella ex vestibus, libris, aut suppellectile habet aliquid, eo amplius quam quod ad suum vsum fuerit à Superiore concessum: vbi denique communis est omnium victus, communis mensa, communis vestitus in communi aliquo loco solitus asseruari.

Contra verò, ea improbanda consuetudo, vbi Religiosorum quisque aliquid apud se habet, vnde viuat, quod in communem locum non asserit: vbi singuli plus habent, quam quod sit sibi necessarium ad vitam tuendam. Iure quoque improbandum specula, vnguenta, suffimenta, & his similia pleraque vana, profana, quæ maxime Religiosam dedecent simplicitatem. Pari ratione vituperanda veniunt preciosa ornamenta librorum, vestium, supellectilium, & aliarum rerum, quibus vtuntur Religiosi, quippe quæ magis ad mundanos homines, quam ad pauperes Religiosos spectant, vt constat: Ex quibus omnibus merito colligitur Religiosos nihil donare, legare, vendere posse, tamen si ad ipsorum fuerit vsum tributum, & multo minus aliquid ludo, à quo prohibentur Religiosi, perdere, vel in alios vsus inanes, ac futiles, & maxime turpes, & inhonestos insumere. Quo fit, vt ij, qui talia à Religiosis accipiunt, ea restituere Monasterio debeant.

Sexto queritur, An Religiosus, qui ex communi, aut ex eo, quod alteri ad vsus eius tributum est, furtim aliquid sibi capit, crimen proprietatis incurrat? Respondeo, incurrare: nam etsi non sit dominium furtiuæ rei sibi assumere, assumit tamen sibi vsum absque nutu expresso, vel tacito Superioris. Quod si res est parua, & leuis, veniale; si grauis, & magna, lethale peccatum admittit. **ROGABIS**, quanta rei quantitas sufficiat ad lethalis peccati materiam? Respondeo tantam sufficere, quanta alioqui satis est ad constituendam materiam furti, quod peccatum lethale sit: quod enim in seculari, graue, & lethale furtum esset, in Religioso furante, lethale sacrilegium erit. In furto verò quid sit paruum, leue, & modicum, quid magnum, graue, & multum, dicam in septimo diuinæ legis præcepto, cum de furto tractabo.

Septimo queritur, An si Religiosus absque Superioris cōsensu, ab alio eiusdem Monasterij Religioso aliquid accipiat, quod est ipsius, qui dat vlti concessum, in vitio Proprietatis incidat? Respondeo aliqui minime; nisi acceperit animo, & voluntate vtendi, sine Superioris consensu: nam

vsum, quem alius habuerat, sibi sumit, quare quamdiu eiusmodi vsum Superioris voluntati subiicit expresse, vel tacite, in Proprietatis vitio non est. **Profecto**, Religiosus usufructuarius esse non potest: id etenim impedit votum paupertatis, quod fecit usufructuarius differat ab usufruario, quod usufructuarius solum vtitur, cuius habet vsum, potest ad suum commodum: usufructuarius verò ex re, cuius vsum fructum habet, fructus iure capit, ita vt eos alteri donare, & vendere queat: Religioso res à Superiore conceditur, vt ea ipse vti possit, non vt ipse in alium huiusmodi vsum transferat suo nutu, absque expresso, vel tacito Superioris consensu.

Si iterum roges, an faciat contra votum paupertatis Religiosus, qui inscio, vel renuente Superiore aliquid sumit ex ijs, quæ sunt in commune, Monasterio collata, & illud edendo vel bibendo consumit? Maior in quarto dist. 38. quæst. 9. videtur sentire eum contra votum paupertatis facere, quia vtitur re, vt propria, videlicet consumit, quod ad eum, vel potum communem pertinet, absque Superioris consensu expresso, vel tacito. Certè Religiosi hac in re cauti esse, & sibi timere debent, ne plus æquo sibi sumant.

Si quæras itidem, An votum paupertatis violet Religiosus, qui contra Regulam vtitur re etiam si id faciat Superioris assensu, Maior in quarto dist. 38. q. 9. docet, eum votum infringere, quia putat ille in voto paupertatis contineri, vt nullus Religiosus communibus rebus vtatur contra Regulam: & ideo sentit Superiorem nulli subdito Religioso posse facultatem concedere vtendi rebus contra Regulam, quia quamuis possit Regulæ rigorem ex parte remittere, nequit tamen Religiosum à voti vinculo soluere, aut ei contra votum faciendi potestatem concedere. Appellatione rei accipit Maior pecuniam, aut rem pecuniam æstimabilem. Alijs rigida, & seuera videtur Maioris sententia, quia nõ quidquid Regula prescribit, ad vota pertinet. Quidquid sit, oportet Religiosos caute viuere, & rebus vti, non vt homines omni voto solutos, sed vt Religiosos votiuâ paupertate adstrictos, & in dubijs sapientes cōsulant Religiosos, Regulam, Institutum, & Religionem professos.

Si roges, An Abbas iure queat Monacho facultate concedere, quæ vtatur pretiosa veste? Respondeo, cum Nauar. Comment. 4. de regular. num. 27. non posse: quia est contra id, quod habetur in Clem. 1. de statu Monach. vbi Monachis interdicitur omni cultu, & ornatu pretioso, seu sumptuoso in vestitu, equitatu, absque iusta, & debita causa, vt ibi Glossa annotauit.

Octauo queritur, An grauius peccet Religiosus Religionem professus, paupertatē non seruans, quam si simplici tantum paupertatis voto teneretur? Respondeo, simplex votum, quo quis tria Religionis vota facit, in aliqua Religione approbata, & solemnī, cōram Deo per se nõ differre, vt superius admonui: Ecclesiæ tamen constitutione & iure cōmuni Canonico, plura vota paupertatis solēni, quam simplici continentur. Etenim qui solo simplici voti vinculo adstringitur, quamuis rerum suarum vsum se abdicauerit, dominium tamen, & proprietatem apud se

aliquan-



aliquando retinet. Religiosus verò professus nō item. Hic rursus nihil sibi acquirit, sed Monasterio, ac religioni, ille verò prior sibi potest acquirere aliquid dominiū, & proprietatem, licet nō vsus: est enim capax hereditatis, & cuiuslibet alterius rei, ad quā antea ius habebat. Postremò religiosus Professus nequit testamentum condere, ita ut inane sit, & irritum si fecerit: quod tamen factum ab eo, qui simplici Paupertatis voto alligatur, ratum & firmum fortassis habetur, vt postea dicam, licet peccet suis rebus vtendo absque legitima auctoritate.

Nonò queritur, An religiosus, qui solum professus est, tacite religionem, in sacrilegium incurrat, si Castitatem non seruet? Ratio dubitandi est quia Castitatem expressim non vocit. Respondeo, nihilominus eum sacrilegij crimine teneri: nā sufficit si aliquid vltro faciat, quod nouit cum voto Castitatis esse coniunctum: vt castitatem ipsam vouisse simpliciter iudicetur. Sed qui tacite religionem proficitur, aliquid sponte facit, cui scit votum Castitatis annecti. Queres, an religiosus Castitatem violans, suum peccatum ex toto confiteatur, si tantum apud Sacerdotem exprimat voto se quidē Castitatis adstrictum teneri, taceat tamē se esse religiosum? Quidam opinantur satis esse primum patefacere, quia Castitatis votum simplex, & solemne per se non differunt. Contra sentiunt alij, id minime sufficere, sed secundum quoque illud patefieri oportere: eo quod solemne Castitatis votū à simplici plurimum differat. Queres deinde, an si religiosus sit in sacris ordinibus constitutus, inter confitendum debeat declarare, & se esse religioni dicatum, & initiatū sacris ordinibus, an verò satis sit alterutrum illorum exprimere, hoc est, si vel sacrorum ordinum dignitatem, vel Religiosorum statū aperiat? Quidam existimant vtrumque aperiri oportere, alij verò sufficere, si se Religiosum esse fateatur. Alij contra opinantur, eum satisfacere alterutrum illorum confitendo, nimirum, se ad sacros ordines euectum, aut religiosum esse. Sic enim solemne votū Castitatis plenē explicari, & patefieri contendunt.

### Cap. XII.

#### De modis quibus Religiosus violat obedientie votum.

Primo queritur, quo differat peccatum, quo religiosus per cōtemptionem peccat ab eo, qui violat obedientie votum? Respondeo, latius patere peccatum ex contemptu, quam peccatum inobedientie. Nam contemptio consistit, tum in his, quæ præcepta sunt, tum in alijs, de quibus nullum præceptum habemus: peccat enim quis, tum Consilia, tum Præcepta contemns. At inobedientie peccatum in his duntaxat versatur, quæ nobis sunt imperata. Contemptus igitur est cum quis Præceptum, vel Consilium monitum, vel regulam prætermittit tanquam re inutile, futilem, & vanam, vel cum is, qui iubet, vel consilium dat, monet, vel dirigit ad agendum tanquam vanus, vel inspiens despicitur. Inobedientie verò peccatum est, cum imperata violamus, vel omittimus eo animo, & voluntate, ne imperanti pareamus. Vt exemplo; Titius ieiuniū

ab Ecclesia indictum prætermittit, & violat tanquam inutile, & vanum, contemptor est: at cum omittit & negligit, quia recusat Ecclesie iubenti obedire, tunc inobediens est: si verò nimia cibi auiditate eiusmodi præceptum perfringat, tunc intemperans est, non inobediens, vel contemns. Hinc est, vt religiosus minime ex contemptu peccet, quoties contra Regulam, Constitutionem, Superioris præceptum delinquit: nec quoties regulæ, aut Superioris mandatum violat, inobedientie peccatum admittit.

Secundò queritur, quādonā religiosus in peccatū inobedientie labitur? Respondeo, quādocumque superior Constitutio, vel regula fieri aliquid iubet in virtute sanctæ obedientie, aut alijs verbis idē penitus valentibus, nec illud præstat, ac seruat.

Tertiò queritur, An superior possit aliquid præcipere virtute sanctæ obedientie ijs in rebus, quæ sunt contra aliorū superiorū præcepta? Respondeo, certi iuris esse, nihil posse superiorem iubere in ijs, quæ sunt contra ius naturale, vel diuinum, vel Canonicum, vel Ecclesiasticū, vel contra mādāta eius, qui superiorem potestatem habet, eique subijcitur. Obijcies, vnde ergo tantum meriti, & laudis simplex veterum Monachorum obedientia promeruit, quos paruissimè constat in multis, quæ cōtra ius naturale, vel diuinum facere iubebatur? qualia multa apud Cassianum lib. 4. de instit. Monacho, c. 24, 25, 26, & 27. legitur licet. Quidam totum hoc conferunt in magnam illorum hominū simplicitatem, vt qui omnia sibi ab Abbate imperata putarent tuta conscientia se posse facere, & exequi simpliciter absque vlla discussione. At verò mihi videtur, eiusmodi Monachos magnæ quidem fuisse simplicitatis, sed in ijs tamen, in quibus eos Præpositis suis obedisse legimus, obedientie ductū secutos existimo: vel quia non omnia clarè, & aperte cum iure naturali, vel diuino pugnant; & proinde eos bona fide obtēperasse puto: quia ignorabant esse iuri naturali, vel diuino contraria; Quo certè modo nos possumus etiam nunc absque peccato aliquid ignorare, quod iuri naturali, vel diuino aduersetur: vel quia licet manifestè mala, vt legi diuinæ contraria, & aduersa esse videretur, ea tamē sibi imperari putabāt, vt facere conarerent, & Superiorē curaturū, ne imperata perficeret: Aut deniq; quia sibi in animū induxerat, ea præcipi nō quidē simpliciter, & absolute, vt faceret, sed vt obedientie documētū, & exemplum præberet. Deinde obijcies, fas non esse superiori, aliquid iubere, cū habet in animo id impedire, aut nolle, vt fiat. Respondeo, apud Theologos Scholasticos quæstionē agitari, quā tractauit Dur. 1. d. 47. q. 3. Vtrū Deus aliqua præcipiat, quæ fieri nolit? Quā soluit affirmādo non solum facere id posse, sed etiā interdū fecisse, vt supposita ministrabūt exēpla. Nā imperauit Abraham, vt vnicū filium suum immolaret, quē tamen postea immolari prohibuit. Christus etiam Dominus præcepit quibusdā, ne miraculū à se editū proderent, & quo magis præcipiebat, ne cui dicerent, eo magis prædicabant illi miraculum, in quo illos non est credendum peccasse; mirabantur enim turbæ, quæ dicebāt: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui. Item, Deus

omnibus



omnibus imperat, vt bene agant, ac suæ salutis prospiciant, vt sic tandem salui fiant, nec tamen omnes facit saluos. In his igitur Deus aliqua præcipit, non quo à nobis fieri velit, sed vt in obediendo, & bene agendo virtutis officium impleamus, & alijs bonæ vitæ simus exemplo. Quare in prompta Abrahæ obedientia eximia eius viri fides, & spes enituit. Præcipiebat Christus illis hominibus, ne cui dicerent, vt doceret cauedum summopere laudis, & gloriæ inanis studium, & periculum: contra verò illi faciebant, vt gratum animum suum de accepto beneficio declararent. Sic etiam dicimus, Superiores posse grauiam interdum, difficilia & ardua imperare, & quæ videantur etiam inutilia, ac penè ridicula, non quo ea fieri velint, sed vt nos in obediendo exerceant, & promptæ obedientiæ nostræ, quod obimus, & præstamus officium, sit cæteri exemplo, atque documento.

Quartò queritur, An superior ius, & potestatem habeat aliquid præcipiendi, quod in solo actu mentis, & voluntatis interiore consistit? Hanc quæstionem supra diluimus libro quinto, cum de legibus tractarem, vbi docuimus, non esse penes homines auctoritatem legem condendi, qua actus voluntatis interior imperetur: & proinde superior nullum habet ius præcipiendi à cæteris simpliciter interiores lege lata.

Quintò queritur, quibusnam in vniversum iure Canonico communi religiosi prohibeantur siue Mendicantes, siue non Mendicantes? Respondeo in Clement. Religiosi, De Priuileg. octo circiter, aut nouem contineri, quibus religiosi prohibentur.

Primò: Ne Religiosi clericis, aut laicis sacramentum Extreme vniuersionis vel Eucharistiæ ministrare, matrimonium solemnizare, hoc est, solemnè ritum, & ceremoniam facere præsumant, non habita super his parochiali presbyteri licentia speciali: alioquin excommunicationis incurant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam dumtaxat absoluedi, hoc est, à qua non nisi à Romano Pontifice solùm absolui queant. Sic ibi.

Secundò: Ne excommunicatos à Canone, præterquam in casibus à iure expressis, vel per Priuilegia Romani Pontificis concessis, vel à sententijs per statuta Provincialia, aut Synodalia promulgatis à pœna, & culpa absoluedi quemquam præsumant, alioquin in excommunicationem prædictam Romano Pontifici reseruatam incidant.

Tertio, ibidem sic statuitur: In virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis eterne districtius inhihemus, ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælati detrahant: quod, vt Glossa interpretatur, locum habet cum nominatim detrahunt, aut verbis proprium Prælati nomen exprimentibus, alioquin enim generatim Prælatorum vitia, & peccata publica modeste carpere licet.

Quartò: Etiam in virtute sanctæ obedientiæ inhihemus ne retrahant laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia, vel accessu.

Quintò: In virtute quoque sanctæ obedientiæ inhihemus, ne Indulgentias pronuntient indiscretas; hoc est, vt ait Glossa, non concessas, nimirum subreptitias supposititiæ, falsas, & inanes.

Sexto: Ne uic, cum confessionibus testamentorum intererint, à restitutionibus debitis, aut legatis matribus Ecclesijs faciendis retrahant testatores.

Septimò: Ne legata, vel debita, aut matè ablata incerta sibi, aut alijs singularibus sui Ordinis Fratribus, vel Conuentibus in aliorum præiudicium fieri, seu erogari præsumant.

Octauò: Ne etiam in casibus Romano Pontifici, aut laicorum Ordinarijs reseruatæ quempiam absoluant.

Nondò: Ne personas Ecclesiasticas, præsertim coram Iudicibus delegatis à nobis, suam contra eos iustitiam prosequentes, vexare indebitè, aut ad loca plura, & præsertim multum remota conuenire præsumant. Haec tenentur Clementina.

Annotandum est, ad contrahendam huius Clementinæ excommunicationem, sufficere, si quis sit religiosus, quamuis non sit ab Episcopis exemptus (falsum enim est, quod quidam senserunt solum comprehendere religiosos exemptos) si sit religiosus neque religionem professus, sed tantum sit nouitius, immo etiam si fuerit sanctimonialis: dummodo tamen sit religiosus in aliqua religione approbata, vt rectè annotarunt Cardinalis, Paulus, Ancharanus, Imola, Bonifacius in ea Clementina, Angel. Excommunicatio. 5. cap. 12. Siluest. Excommunicatio. 7. cap. 14. & Nau. in Man. c. 27. num. 101. Item, nomine parochialis presbyteri, à quo prædicta est facultas petenda, intelligi eum, qui est Ecclesiæ curam animarum habenti præfectus, licet nondum ad sacerdotium ascenderit, vt ibidem docet Cardinalis. Paulus, Petrus Ancharanus Bonifacius cum Glossa: quamuis Stephanus, & Imela asseruerint debere esse presbyterum: quoniam in Clementina dicitur: sine licentia expressa presbyteri parochialis. Satis itam est, si in facultate, quæ à paroco petitur, exprimitur nomè religiosi sacramentum ministraturi, aut Parochiam suscepturi, vt Glossa notauit communi consensu recepta. At sufficit, vt Caie. in sum. verbo. excomm. c. 24. & Nauar. loco citato, testantur, si per ignorantiam, aut ratihabitionem Religiosi ea, quæ diximus, sacramenta conferat: siquidem in Clementina dicitur. Ne præsumant ministrare. Præterea, vt excommunicatio contrahatur, non satis est, si religiosus ea sacramenta ministraret alteri religioso exempto, vt notarunt Cardinalis, & Caietanus, ac Nauarus, quamuis Siluester immeritò oppositum dixerit. Nam in Clementina dicitur. Ne ministraret clericis, vel laicis: nimirum paroco subiectis. Potest demum facultatem concedere non solum Parochus, sed etiam eius Vicarius, aut Episcopus, aut Vicarius Generalis, vt docuit Glossa ab omnibus recepta.

Sed ambigua quæstionis est, an solum in hac Clementina religiosi prohibeantur Eucharistiæ ministrare, quando datur vt Viaticum moribundis, an verò etiam quando confertur sanis & bene valentibus: Quidam enim docent solum primam esse prohibitum: & propterea si alio tempore religiosi eucharistiæ confecerant, nullam contrahere excommunicationem. Magis tamen est recepta sententia asserentium, generaliter id esse interdictum religiosi, tamen hoc facerent generatim dicitur, Ne præsumant ministrare Eucharistiæ. Deinde excommunicatio non contrahitur, si religiosus prædicta sacramenta conferat, vel peccatorum absolutionem impertiat Parochiano presbytero dicenti, sed ad facultatem habere, nec si sacramentum baptisimi, vel Pœni-



teatiae ministret, nec si absoluat ab excommunicatione lata ab homine, vt Glossa obseruauit.

**Decimo:** In Clementina 1. De Rescriptis statuitur sic: Abbates, aut alij Religiosi quibuslibet administrationibus presidentes, occasione Prioratuum, seu aliorum locorum subditorum eiusdem, nullum auctoritate litterarum Apostolicarum sedis, vel legatorum ipsius, quomodolibet valeant conuenire, nisi vbi, & coram quibus Prioratuum, & locorum ipsorum Prioribus, aut alijs Gubernatoribus id liceret.

**Vndecimo:** In Clementina 1. De electione habetur: Prohibemus, ne Religiosus aliquis in Abbatem, vel Praelatum alterius Religionis, vel habitus de cetero eligatur. Quod si secus actum extiterit, sit eo ipso irritum, & inane. Non tamen intendimus prohibere, quin Religiosus in Episcopum secularis, vel cuiuslibet Ecclesiae possit eligi.

**Duodecimo:** In Clementina prima. De rebus Ecclesiae non alienandis statuitur: Perpetuo prohibemus edito, ne quis Religiosus Monasterio, Prioratu, Ecclesia, seu Administrationi eius presidenti, iura, redditus, aut possessiones eiusdem, alicui ad vitam eius, seu ad aliud certum tempus, pecunia etiam inde recepta, quouis modo concedat, nisi necessitas, aut utilitas Monasterij, Prioratus, Ecclesiae, vel Administrationis huiusmodi hoc exposcat, conuentus sui: aut si conuentum non habeat, Praelati proprii assensu, ad hoc nihilominus accedente. Si quis contra hoc fecerit, primum suspensionis ab officio, eo ipso incurrat: nec ex concessione ipsius recipientis ius aliquod acquiratur, sed praemissa ad locationes, vel venditiones reddituum, aut fructuum ad tempus modicum faciendas, declaramus nulatenus extendi.

**Decimo tertio:** Clementina prima. De Decimis, statutum est: Religiosi quicumque, qui non alia, aut alia decimas Ecclesiarum debitas ad eos ex aliqua causa legitima, non spectantes appropriare sibi praesumpserint, aut ex quibus fraudibus, sine coloribus usurpare, seu qui de animalibus familiarium, & pastorum suorum etiam animalia ipsi eorum gregibus immiscuerint: seu qui de animalibus, quae in fraudem Ecclesiarum in pluribus locis emunt, etiamque tradunt venditoribus, vel alijs ab ipsis tenenda: seu qui de terris, quas tradunt alijs excolendas, decimam solum Ecclesiarum non permisserint, aut prohibuerint, nisi post requisitionem per eos, quorum intersit, super hoc eis factam, a praemissis desisterint, intra mensem, aut si de his, quae contra praemissa usurpare, vel retinere praesumpserint, intra duas menses, damnificatis Ecclesiarum emendam non fecerint competentem, sint ab officijs, administrationibus, & beneficijs suis suspensi, donec satisfecerint. Quod si Religiosi huiusmodi administrationes, vel beneficia non habeant eo casu quo alij supra dicti, suspensionis sententiam, ipsi sententiam excommunicationis incurrant nec possunt absolui ante satisfactionem condignam. Ceterum praemissa extendi volumus ad animalia, quae per Religiosorum donatos seu oblatos tenentur, dum tamen illi Religiosi eiusdem cetero effectum donauerint, aut obulerint se, & sua.

**Decimo quarto:** In Clementina prima. De Religiosis domibus, districtius interdicitur Religiosis, ne mulierum, quae Beginae vocabantur, statum quomodocumque admittant, nec villo modo illis in eo statu sectando, vel assumendo, consilium, auxilium, vel fauorem praestent, alio qui per eam excommunicationis eo ipso, incurrant: & subiungit Pontifex: Nec tamen per praedicta prohibere intendimus, quin si fuerint fideles aliqua mulieres, quae promissa continentia, vel etiam non promissa, honeste in suis conuersantibus hospitij, praesentiam agere voluerint, & virtutem Domino in humilitatis spiritu deferuire, hoc eisdem liceat, prout Dominus ipsis inspirabit. Sic ibi.

**Decimo quinto:** Clementina prima. De celebrat. Missi praecipitur, vt in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesijs, horis debitis deuote psallatur, & debite celebretur officium Diuinum diuinum, & nocturnum.

**Decimo sexto:** In cap. vi. periculosa, Ne Clerici, vel Monachi, in sexto, dicitur: Distinctius inibemus, ne de cetero aliquis quicumque Religionem tacite, vel expressè professus in scholis, vel alibi temere habitum Religionis suae dimittat: nec accedat ad quouis studia litterarum, nisi a suo Praelato cum Consilio sui Conuentus, vel maioris partis eiusdem, sibi eundem ad studia licentia primitus sit concessa. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto. Absolutio ab hac excommunicatione nulli referuatur. De quo extra tractant praeter Archidiaconum, Ioannem Andream, Dominicum, Ancharanum, & Francum in sexto. Angel. excommunicatio. 7. casu 27. Silu. Excommunicatio. 9. casu. 24. Caic. in sum. excommunicatio. c. 61. Nauarr. in manna. cap. 27. num. 133. & num. 131. Apponandum est, duplicem excommunicationem in hoc capite irrogari: vnam religionis, qui temere suae religionis habitum dimittunt, alteram his etiam religionis, qui ad studia litterarum extra Monasterium se conferunt sine sui Superioris consensu, & consilio maioris partis Monastici Conuentus. Prima excommunicatio non contrahitur, si religiosus habitum honeste deponat iusta aliqua de causa: tunc enim non est temeraria habitus dimissio. Sic Glossa ab omnibus recepta. Nec etiam quicumque temere dimittit, ea afficitur excommunicatione: omnis enim dimissio habitus absque rationabili causa temere fit, eo quod suum habitum religiosus in omni loco, ac tempore deferre debet. Cap. Vidua. 20. q. 1. & cap. Saetimoniales. dist. 23. Nec tamen quoties temere habitus dimittitur, grauius peccatur, vt si quis deponat ad canendum tantummodo, saltandum, vel lapidem iaciendum: non enim tunc excommunicatio contrahitur: immo nec quoties ita temere dimittitur, vt etiam grauius aliunde peccetur, veluti cum religiosus in priuato aliquo loco se exuit habitu, in eum tantum finem, vt ibi clam aliquid furetur, statim iterum ipsum habitum sumpturus. Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 131. Silu. excommunicatio. 9. casu. 24.

Is igitur in excommunicatione incurrit, qui suum habitum dimittit, vt alio habitu utatur ad scelus aliquod committendum, vel ad certum tempus, vel ob certam causam, ita vt boni viri arbitrio habitum temere dimisisse iudicetur. Ex quo fit, vt in eam non incidat excommunicationem, qui habitu quidem se exuit, sed tamen nullum aliud sumit: neq; si sumat ad ta breue tempus, vt cenferi queat, non dimisisse, siue eum in Monasterio, siue extra, deponat, vt testatur Cardinalis. Afficitur tamen excommunicatione, qui non quidem dimittit, sed ita tamen gestat, vt non appareat. Sic Glossa in Clemen. 1. de vita, & honest. Clericorum. Et propterea Abbas, qui oppositum insinuauit in cap. Dem qui, de vita, & honest. Clericorum videtur esse de eo locutus, qui occulte desert, sed ita vt facile ipse habitus internosci, ac discerni possit, vt optime Caietanus explicuit.

**QVAERES,** an excommunicationem contrahat, qui suae religionis habitum deponit, cōfessim alterius religionis veste, & habitu sumpto,

Tunc

temere



temerè contra Canones, & iura, Lapus, Ioann. Andreas, Dominicus, Angelus, & Abbas sentiunt eum non contrahere. Sed verius esse, Silvester, Caietanus, & Nauarrus oppositum arbitrantur: nam vere, & propriè suæ religionis habitum dimittit, & exiit. Mihi certè probabilis admodum videtur prima sententia: quoniam etsi eiusmodi religiosus dimittit suæ religionis habitum, non tamen dimittit, vt liberè euagetur. Et hæc causa, & ratio est constitutionis: nec sufficit, si dicas, eum transire ad laxiorem religionem, vbi licentior viuat: quoniam satis est, si se ad religionem trāserat, in qua tribus erit religionis votis obstrictus. Secunda magis placet.

De altera excommunicatione notandum est, olim Alexandrum III. in cap. Non magnopere, Ne Clerici, vel Monachi, ita sanxisset: Statuimus, vt nulli omnino post votum Religionis, & post factam in aliquo loco Religioso professionem, ad Physicam, hoc est, ad Medicinam, legesque mundanas audiendas permittantur exire. Si verò exierint, & ad claustrum suum iura davorum mensuram spatium non redierint, sicut excommunicati ab omnibus euentur. Et in nulla causa, si patrocinium præstare voluerint, audiuntur: Et reuersi, in Choro, Capitulo, mensa, & ceteris vltimi existant: & sine beneficio Romani Pontifici non promoueantur. Et Honorius III. in cap. Super specula, Ne Clerici, vel Monachi declarauit, eiusmodi excommunicationem irrogatā religiosis audientibus Physicam, id est, Medicinam, vel leges ipso facto cōtrahijta vt sit poena ipso iure lata, non ferenda à iudice. At verò in prædicto cap. Vt periculosa excommunicatio generaliter fertur in religiosos, qui extra Monasterium ad quælibet studia literaria se transferunt, sine sui superioris consensu, & consilio maioris partis religiosi Conuentus. De hac excommunicatione tractant Angelus, Silvester, Caietanus, & Nauarrus locis supra citatis, & præterea Siluest. excommunicatio. 9. casu. 6. Hinc efficitur, vt solemniori indigeat religiosus facultate habita à Superiori ad studia literarum, quam ad alia negocia: ad hæc enim sufficit solius superioris assensus: ad illa verò requiritur etiam Monastici Conuentus consilium. Si tamen locum adeat, vbi sit suæ Religionis Collegium, in quo literæ doceantur, non indiget, nisi sui superioris consensu, etiam si eò petat studij literarj gratia: hæc enim est potius mutatio Cœnobij, siue Collegij, quam ad studium litterarum profectio, vt rectè Caietanus annotauit. Hanc item excommunicationem non incurrit, qui proficiscitur ex solo superioris nutu, & consensu, cuius est religiosus aliò extra Monasterium mittere ad habitandum; quam facultatem solent habere præfecti Ordinum Mendicantium. In eam etiam non incidit Abbas, aut Prior, etiam si ad litterarum studia se conferat absque sui superioris assensu, & consilio Conuentus. Sic Ioan. Andr. Anchar. Dominicus, Angelus locis citatis: quàmuis oppositum tradiderit Silvester loco prædicto.

Decimo septimo: Clementina, Cupientes, De panis, excommunicatione afficit eos, qui suis concionibus, vel alio modo aliquid dicere præsumunt, vt audientes auertant à soluendis Decimis suis Ecclesijs debitis. Vbi nullus religiosorum excluditur, vt Glossa annotauit. Excommunicatione quoque afficit eos omnes religiosos, qui scienter

nullum cōscientiæ scrupulum iniiciunt ijs, quorum sacras confessiones excipiunt circa Decimas Ecclesijs debitas soluendas: & deinde eius modi negligentia minimè excipiata, cum commodè possint, ad populæ conciones habere præsumunt. Item, excommunicatione feriuntur ibidem omnes religiosi Mendicantes, qui accipiunt nouas domos, vel noua loca ad habitandum, aut commutant, vel alienant acquisita ante Concilium Lugdunenfe aliquo titulo. Item cap. Cum ex eo, De excess. Prælatorum, in 6. Bonifacius VIII. constituerat in hunc modum: Nos perpetuo prohibemus edito, ne Predicatores, Minores, & alij Religiosi Mendicantes in aliqua Ciuitate, Castro, Villa seu loco quocumque ad habitandum domos, vel loca quocumque noua recipere, seu hæcenus recepta mutare, vel ea venditionis, donationis, aut cuiusvis alienationis titulo in alios transferre præsumant absque Sedis Apostolicæ licentia specialis, plenam, & expressam faciente de huiusmodi prohibitione mentionem: si secus egerint, irritum decernentes. Ibi tamen non prohibetur quis studia Eremitica, vel solitaria vite noua loca, habitacula, aut cellas acquirere, aut mutare suorum Superiorum concessa, de excommunicationibus in hac Clementina latis in religiosos agunt Siluest. Excommunicatio. 9. casu. 4. 4. 45. 46. Angel. Excommunicatio. 7. casu. 4. 4. Caiet. in Summa, cap. 66. Nauar. in Man. cap. 27. num. 144.

Decimo octauo: In Clem. Ex frequentibus, De sent. excomm. excommunicatione afficitur religiosi, qui non seruant interdictum, vel cessationem à diuinis, quam seruare sciunt Ecclesias Cathedralis, siue matricis. SI ROGOS: Quid dicendum, si in oppido non est Ecclesia Cathedralis, aut matricis, quia nempe sunt multe parochiales diuise? Respondeo, tunc opus esse, vt interdictum, vel cessationem à diuinis omnes ille parochiales obseruent, hæc etiam Clementina locum habet in omnibus interdictis, & cessationibus generalibus constitutis à iure, vel ab homine qualibet auctoritate legitima ad id uentæ: solam tamen habet locum in generali interdicto, non speciali. In Concilio Tridentino Sess. 25. cap. 12. De regularijs statutur, vt censuræ, & interdicta necdum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, atque seruentur.

Decimo nono: In Concilio Tridentino eadem Sessione, & cap. Decernitur, vt dies festi, quos in dioecesi sua seruandos Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiā Regularibus seruentur.

Vigesimo: In cap. Episcoporum, De privileg. in 6. Statuitur sic: Presenti decreto duximus statuendum, ne alij qui seculares quantumcumque exemptionis, seu libertatis Sedis Apostolicæ Privilegijs communi, cuiuscumque Ordinis, Religionis, status, vel conditionis existant, sicut celebrent, vel faciant celebrari diuina in ciuitatibus, castris, villis, nisi quatenus eis à iure conceditur, seu locis alijs interdictis ab ordinarijs, siue delegatis iudicibus, vel à iure, aut excommunicatis publicè, vel interdictis ad diuina officia, seu Ecclesiastica Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittant. Qui verò contra præsumserint, præter alias penas à iure constitutas, ingressum Ecclesie sibi nouerint interdictum, donec de transgressione huiusmodi ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserint, satisfecerint competenter.



Vigefimoprimum: In Clementina Cupientes. §. vlt. De penis, excommunicatione puniuntur Religiosi, & Clerici seculares, violatores Constitutionis Pontificie in cap. 1. De sepult. in 6. qua precipitur, ne aliquos ad vouendum, iurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, vt sepulturam apud ipsorum Ecclesias eligant, vel iam electam ulterius non immutent: quam excommunicationem ipso facto contrahi definit Pontifex, nec in eam lapsos ab alio, quam à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, esse absoluedos.

## Cap. XIII.

## De Transitu Religiosorum ex vna Religione ad aliam.

Primum queritur, An liceat religioso ex vna Religione ad aliam transire? Respondeo, iure communi Canonico licere, vt colligitur ex cap. Statuimus, & cap. Mandamus. 19. quest. 3. & cap. Licet. cap. Significatum, cap. Non est vobis, & cap. Sanè, de regularibus, dummodo studio tutioris, melioris, & sanctioris vitæ transitus fiat: vt aperte definitur in cap. Licet, De regularibus. S. Thomas 2. 2. quest. 139. a. 8. ait: Transitus ex vna Religione in aliam, nisi propter magis utilitatem, vel necessitatem, non est laudabilis: idem quia si Religiosi offendi solent, qui deseruntur: eum etiam, quia facilius, & commodius proficit quis in Religione, in qua est assuetus, quàm in alia. Vnde veteres Monachi non facile transitum permittebant.

Secundo queritur, An hic transitus iure concedatur ex eo, quod religio, ad quam fit gradus, sit perfectior, & altior, fructuosior, vel sanctior; an solum, quia sit arctior, seuerior, & durior? S. Thomas loco citato, quem Palud. in 3. dist. 38. quest. 3. art. 1. Antonin. 3. par. tit. 16. cap. 4. ad finem. Siluest. in verbo, Religio. 4. quest. 1. & q. 6. 7. & S. Tabien. Religio. quest. 23. & quidam alij sequuntur, videtur docere huiusmodi transitum iure concedi ratione perfectioris, aut fructuosioris religionis, non autem ratione solius arctioris instituti. Quod colligitur, cum quia in virtutis, & melioris vitæ profectu, descensus, aut regressus vitæ peratur; ac laudatur ascensus, aut progressus: tum etiam, quia in cap. Mandamus. 19. quest. 3. precipitur Canonicis Regularibus professis, ne se ad Monachorum instituta transferant, cum tamen arctior sit regula, & vita Monachorum, vt constat ex cap. Quod Dei timorem, De statu Monachi. Vbi dicitur, Canonicos Regulares laxiori Ordini seruire, quam Monachos. Et in cap. Statuimus, eadem causa, & questione habetur, Ne quisquam Canonice professionis alicuius leuitatis instinctu, vel districtioris Religionis obtentu, ex clausura audeat sine patris, & totius Congregationis permissione recedere. Et in cap. Nullus, eadem causa, & questione precipitur, Ne Abbas, vel Monachus Canonicos Regulares à proposito professionis Canonice reuocet, & ad Monasticum habitum trahendo suscipere audeat. Vnde colligit S. Thomas Monachis laxisius, & fas esse ad Canonicos regulares transire, quoniam apud eos ius, & facultatem habent ad sacros Ordines ascendendi. Immo generaliter docet ex Ordine Monachorum Laicorum, vel Clericorum, qui diuina ministeria non præstant, aut priuata tantum, non publica officia obeunt, licere Monachis, sine Religiosis transire ad Ordine Canonicorum regularium, qui publica ministeria, & munera in ecclesia exequentur, & obeunt,

eo quod commune bonum priuato est altius, & maius. Non tamen licitum esse transitum è contrario: nec enim esset ascensus ad sublimiorem vitæ gradum, sed potius ex altiore ad inferiore descensus.

At verò Ioannes Andreas in cap. Sanè, de regularibus postquam S. Thomæ doctrinam de varia religionum perfectione proposuit, subiungit: Nos Canonice non ponderatis his subtilitatibus, solum animaduertere solemus, vbi arctior, strictior, durior, aut seuerior modus viuendi. Vnde in c. Licet, De Regularibus, dicitur: De arctiori vita, & sanctiori, ad quam licet transire è laxiori, & si in vna Religione sit sola contemplatio cum arctissimo viuendi modo, possibili tamen sine proficiendi modo, non admittimus transitum ad Religionem, in qua viget contemplatio, actio, & etiam contemplationis officium cum laxiori vitæ instituto, quod tamen Theologi admittent. Hæc ille, qui quidem nomine Theologorum videtur Sanctum Thomam intellexisse, cuius sententiam, suppresso auctore ante retulerat. Omnes iuris Canonici interpretes id docuerunt, quod dixit Ioannes Andreas: idem etiam sentiunt Angel. Religiosus, num. 35. Rosel. religio. 4. num. 1. Certè cum iure Canonico magis congruere videtur, Transitum huiusmodi concedi, quia arctius, & durius religionis institutum suscipitur, quam quia perfectius, & fructuosius, vt constat ex cap. Licet, De regularibus. Et in c. Virgines. 20. quest. 4. dicitur ex Concilio Triburiensi: Virgines sacre si pro lucro anima sua propter districtiorem vitam ad aliud Monasterium pergere disposuerint, ibidemque commauere decreuerint, Synodus concedit. Hæc ibi.

Deinde etiam cum ratione ipsa maximè conuenit: etenim huiusmodi transitus iure videtur esse concessus ob tutiorem vitæ rationem: vbi autem ea reperitur, eo ipso quoque religio eius vitæ parens, & magistra, videtur esse tutior, atque securior; quauis alia religio sit alioqui fructuosior, perfectior, & altior. Quod autem in cap. Mandamus, & cap. Nullus. 19. q. 3. Canonicis regularibus ad Monasticum institutum transitu interdicatur, intelligendum est iuxta Glossam, id locum habere cum transitus talis sit temeritate, leuitate, & inconstantia animi; aut cum damno, & detrimento prioris religionis. Item, sæpè denegatur transitus ad arctius vitæ institutum, ne communis aliorum salus deseratur, aut impediatur: Sic Episcopis, & alijs Ecclesiarum Præfectis, transitus ad religionem occluditur, ne Ecclesie destituantur idoneis præfectis, & ministris: Et religiosi præficiuntur Ecclesijs, vt communi hominum saluti, & commodo consulatur.

Tertio queritur, Quo modo liceat religioso ad altius vitæ institutum euolare? Respondeo, in iure nonnulla constitui, vt id recto ordine fieri queat. Primum, Ne fiat transitus temeritate, leuitate, odio, ira, contemptu, vel alia qualibet animi perturbatione, sed studio, nimirum tutioris, & melioris vitæ; cap. Licet, de regularibus. Deinde, ne fiat cum detrimento, & iactura religionis, à qua receditur, eodem c. Licet. Item, vt religio, ad quam gradum quis facit, non solum sit arctior ex regula, quam proficetur, sed etiam ex Constitutionibus: nam, vt dicemus inferius, sub vna regula Basilij, vel Benedicti, multi Religiosorum Ordines militant alijs arctiores, asperiores, & seu-



riores, ob Constitutiones nimirum regulæ adiectas. Non etiam sufficit, si Constitutiones antiquæ sint duriores, & arctiores, nisi & recentes, quæ modo seruantur, sint quoque seueriores: fieri enim potest, vt rectius aliquod antiquum vitæ institutum obseruari desierit, & religio laxiori modo viuere cœperit. Opus est ergo, vt vitæ ratio, quæ modo seruat, sit asperior, ac durior. Sic Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, ac ceteri Pontificij iuris interpretes, in c. *Licet, de regular.* Requiritur deniq; petitiō facultatis, quamuis ea non obtineatur, c. *Licet, de regular.*

Quartò quæritur, Quid faciendum quando prius Cœnobiū, aut religionis institutum est Pontifici priuilegio munitum, ne quis inde ad arctius se transferat? passim enim religiones Pontificum priuilegio obtinere solent, ne ex ipsis ad alias religiones quispiam transire queat. Respondeo, nihilominus transeundi ius esse, vti manifestè constat ex dicto cap. *Licet*, vbi dicitur eiusmodi priuilegium concessum credi, ne transitus fiat temerè, leuiter, aut cum Cœnobiij, & Ordinis prioris incommodo.

Quintò quæritur, Cum ambigitur, sit nec ne altera religio, ad quam transitus cogitatur, durior, & arctior, vel etiam dubitatur, licet certò constet eam arctiorem esse, num religiosus aliqua animi leuitate, aut temeritate ad eam transuolat, quid tunc fieri debeat, cuius iudicio res ea decerni debeat, ac possit? Respondeo cum Innocentio, Ioanne Andrea, & Abbate, nequaquam esse standum verbo Religiosi transire petentis, nec superioris eum denegantis, sed alterius maioris viri iudicio, & sententiæ, ad quem, vt ad superiorem prouocari debet. Sicut si religiosus malè cõtra fas, & ius tractaretur, aut vexaretur.

Quæres, an postquam religiosus facultatem transeundi petiuit, debeat expectare responsum? Respondeo cum Glossa, & Abbate, debito tempore responsum esse expectandum. Is enim, qui consilium requirere iubetur, eodem iure, tempore debito cogitur expectare responsum. Sed quid si superior nihil respondeat, aut facultatem denegat, aut inanem, & falsam, vel iniustam causam obtendat? Responder Abbas Innocentium secutus, ius esse religioso contestim nullo alio expectato tempore, ad aliam religionem transuolandi: in ijs enim causis superior quasi perpetuò facultatem denegare censetur. Si tamen superior verisimili causâ duci in deneganda facultate, videatur non licet religioso statim transire, sed ad superiorem alium prouocare, qui rem totam suo iudicio decernat.

Sextò quæritur, An si religiosus facultate minime petita transferat, iure reuocari, & reduci possit, ac debeat? Goffredus, & Abbas antiquior, Calderinus, & Petrus Ancharanus, & Glossa in c. *Licet, de regularib.* & Silu, religio. 4. quæst. 1. versic. *Adverte quarto*, senserunt eum reuocari, nec debere, nec posse. At verò Hostiensis, Ioannes Andreas, Panormitanus in c. *Licet, de regularibus* & alia Glossa in cap. *Mandamus, verbo, Lapsus 19. quæst. 3.* Rosel, religio. 4. nu. 4. & Nauar. consilij 59. de regularib. num. 2. docent esse reuocandū, eo quòd in cap. *Licet*, sancitur petendâ esse facultatem, ne Obedientia con-

temni videatur: ergo quandocumque sit transitus facultate minime petita, factus esse videtur Obedientiæ bono contempto. Hæc opinio mihi verior apparet, & eâ dicit esse communè Nauar. loco citato: ex quo fit, quod rectè Abbas annotauit, vt nõ sufficiat, si post factū facultas petatur.

Septimò quæritur, à quonâ peti debeat transeundi facultas? Angel. *Religiosus, num. 35.* respõdet, quod ad Religiosos quidè exemptos, & priuatos attinet, esse petendâ à Præpositis Ordinarijs, hoc est, à Præpositis Provincialibus; nimirū in Franciscana familia, à Custode, vel Ministro Provinciali: in Dominicana à Provinciali in Monasticis Ordinibus ab Abbate, vel Præposito, vel Priore. Quod verò pertinet ad religionū Præfectos, peti oportere à Maioribus, in quorum potestate sunt ipsi verò Maiores Præpositi, qui sunt Romano Pontifici proximè subiecti, ab eo solo petere debent. Siluester tamen religio. 4. q. 3. Angelum confutans, censet apud Franciscanos, & Dominicanos facultatem peti posse à Præfectis Domorum, vel Collegiorū, siue Conuentuū, hoc est, apud Prædicatores, à Priore; apud Minores à Guardiano. Prouinciales verò petere debent à Ministro, vel Magistro Generali: ipse verò Generalis Magister, seu Minister à Romano Pontifice: quò denegatè transire religiosus iure nõ potest: nihil verò respondere potest, secudū Abbatē in cap. *Licet, de regularibus*. Quæ Siluestri sententiā mihi magis probatur. Nam ius auctoritatis, & potestatis, quod habet Abbas in Monasterio, habet in Franciscana, aut Dominicana familia Prior, vel Guardianus, qui est toti Conuentui, Cœnobiō, vel Collegio Præfectus.

Octauò quæritur, Quomodo liceat religiosus transire ad laxioris religionis institutum? Respondeo, certi iuris esse, vt omnes fatentur, quod Innocentius, & Panormitanus, & alij tradiderūt in c. *Licet, de regularib.* ius esse, si in priori religione regulæ, aut Cõstitutiones nõ seruentur. Nã vt paulo ante diximus, transitus iure conceditur, nõ eo quòd regulæ, aut Cõstitutiones sint arctiores, sed quòd præsens vitæ ratio, quæ seruat, sit arctior, & durior. Si igitur ex Regula, vel Cõstitutionibus laxius sit religionis institutum arctior tamen præsens vitæ modus, transitus iure permittitur: dummodo tamen, vt rectè Ioannes Andreas annotauit, non sit in Prouincia aliud eiusdè religionis Cœnobiū, in quo sit arctior instituti obseruatio, nec sit probabilis spes pristinâ vitæ formulam eo in Monasterio reuocandi. Si verò in priori Monasterio præsens vitæ norma nunc est arctior, aut iusta subest causa transeundi ad laxiorem, ac minus arctam, & rigidâ, aut non subest. Si primum, potest, inquit Innocentius, & Abbas, Episcopus facultatem transeundi concedere. Antonius verò Butrius id iuris ad solum Romanum Pontificem pertinere docet, nisi ex mora probabile periculum imminet, aut ad Romanum Pontificem difficilis aditus pateat. Sed reuera Innocentius, Abbas, & Butrius videntur loqui secundum commune ius, & antiquum, quo Monasteria, & Monachi erant in Episcoporum potestate. Vnde Siluester ait, religio. 4. quæst. 1. c. 3. Cum religiosi sint ab Episcoporum potestate exēpti, & liberi: ita religionis Præfectus, qui habet in



bet in Religiosos quasi Episcopalem auctoritatem, ius habet concedendi facultatem, quando adest causa legitima: & probabile periculum impendet, vel ad Romanum Pontificem difficilis aditus est.

**Quæres,** quænam sint causæ legitimæ? **Respondeo,** si religiosus infirma, aut incommoda valetudine vtatur, aut si odio habeatur à cæteris fratribus, aut indignè, & malè tractetur. Quibus causis, & alijs iustis, & debitis quibuslibet remotis, Romanus Pontifex solus potest facultatem transeundi concedere, secundum Glossam. Sed verius alij putant, quod tradit Abbas, non sufficere totius Romani Pontificis facultatem absque vlla iusta, & legitima causa: non enim ille potest arbitrari suo absque vlla iusta causa commutare votum, quod debet diuino iure persolui: cum per commutationem ex parte relaxatur, & remittitur, hoc est, cum mutatur in id, quod est minus bonum.

**Non quæritur,** quomodo sit iure concessus transitus ad æquè arctum religionis institutum? **Respondet Abbas,** id iure permitti, si fiat Episcopi consensu, quando adest causa iusta, & legitima: ea verò sublata iure non permitti, nisi solius Romani Pontificis auctoritate: locum habet, quod dicit Abbas in religiosis Ordinibus, qui sunt Episcopis subiecti: nam quod attinet ad eos, qui sunt exempti, transitus fit consensu eius, qui præ est Ordini, vel Prouinciæ, vel Monasterio, siue Conuentui.

**Decimò quæritur,** An religiosus contra iura ad aliam religionem se transferens sit apostata, hoc est, an tanquam suæ religionis defertor, & transfuga iuris poenas incurrat? **Abbas in c. Sanè, de regularib.** negat eum esse apostatam eo modo, quo ius Canonicum loquitur in cap. vii. de Apostatis, ex quo Angelus in verbo, Excommunicatio. 7. casu. 27. dicit illum non adesti ea excommunicatione, quæ irrogatur in cap. 2. Ne Clerici, vel Monachi, in 6. dimittentibus temerè suæ religionis habitum: quod idem tradiderant Ioannes Andreas, Lopus, & Geminianus in eo cap. Si tamen excommunicus. 9. casu. 25. & Nauar. in Manuali, cap. 27. non. 131. ad finem, sentiunt dictum religiosum in eiusmodi excommunicationem incurrare. Vtra verò sententia sit verior, cap. superiori dixi. q. 5. Mihi enim secunda sententia placet.

**Vndecimò quæritur,** Quid sit dicendum. Si religiosus impetrata facultate ad religionem arctiorem demigrandi, postea aut non inueniat religiosos, qui eum velint admittere, aut voluntate mutata ad priorem redeat religionem, an primò religiosus, à quibus decesserat, eum recipere iure cogatur? **Respondeo,** eos ad id ipso iure compelli, quoties ante professionem emissam in alia religione, ad antiquam reuertatur: nam facultas, & abdicatio iuris, quod quis habet, facta ex causa, ea minimè subsecuta, rata, & firma non est.

**Duodecimò quæritur,** Quid peculiariter iura statuerint, de religiosis transeuntibus ad alias religiones? **Respondeo,** in cap. Ioannes, De regularibus præcipitur, ne quis Monachus è Monasterio, in Monasterium temerè demigret. & in cap. Sanè, eodem Titulo, Canonicus quidam regularis, qui fugerat ab Ecclesia, in qua professionem emiserat,

ad Monasticam vitam, si ea sit arctior, permanere in illa permittitur: alioquin ad priorem Ecclesiam redire compellitur. In Clementina, Vt professores, De regularibus sancitur hoc modo: *Statuimus, Mendicantes quoslibet, qui ad non Mendicantium Ordines etiam auctoritate Apostolica transibunt in posterum, quide hæcenus transfuerunt, quantum nunc Prioratus, vel Officia, aut curamouarum, vel regimen quodcumque obtineant tibi, vocem aut locum in Capitulo non habere, etiamsi hoc sibi ab alijs liberè cõcedatur. Ad Prioratus quoque, Administrationes, aut quæcumque in antea non assumi officia etiam tanquam Vicarios, seu Ministros, vel locum aliorum tenentes: quodque animarum curam, & regimen, nec pro se possint, nec pro alijs exercere. Quicquid autem in contrarium factum fuerit, sit irritum ipso iure, quousque privilegio non obstante.* Hactenus Clementina, vbi prohibetur transitus ex Ordinibus Mendicantium ad Ordines, qui Mendicantes non sunt. Ex quo fit, vt hæc Clementina nihil decernat, de transitu ex vno Ordine eorum, qui Mendicantes non sunt ad alium similem, videlicet, qui non sit ex Mendicantibus, vel ex vno Mendicantium, ad alium Mendicantium, vel ex vno, qui non sit ex Mendicantibus ad alium Mendicantium. Excipit tamen Clementina Ordines Mendicantes, sed ex parte tantum, non simpliciter approbatos; nimirum, vt nullum in posterum ad professionem admittat, quibus generalem concedit facultatem ad alios ordines simpliciter approbatos demigrandi.

**Quæres,** an hæc Clementina, Ordines Mendicantium accipiat tantummodo quatuor illos Ordines, qui in cap. Religionum, §. Sanè, De religiosis domibus, in 6. referuntur: videlicet, Ordines Prædicatorum, & Minorum, Eremitarum sancti Augustini, & Carmelitani instituti. An verò intelligat absolute quoslibet Mendicantes Ordines simpliciter approbatos, quales sunt aliqui post Clementinam instituti, inter quos est familia Minimorum à sancto Francisco ex Paula oppido Calabria oriundo fundata? **Respondeo,** in Clementina intelligi omnes Mendicantium Ordines simpliciter approbatos, qui vel ex regula, vel ex Constitutionibus possessiones, aut redditus communiter etiam habere nequeunt. Deinde dubitabis, quid nomine Officij Clementina intelligat? Glossa videtur intelligere solum Officia ecclesiasticæ regulæ subiecta. Paulus tamen & Imola generatim accipiunt quælibet Officia in religionibus fieri solita. **SI QVÆRAS,** an etiam intelligatur publicum diuini verbi annuntiandi munus? **Respondeo** cum Glossa, Paulo, & Imola, intelligi: quoniam est munus presbyteris ex instituto conueniens, licet Diaconis etiam, & alijs ex mandato, & facultate commissa conueniat. Denique rogabis, an etiam voce officij comprehendatur munus docendi publice Theologiam, aut ius Canonicum? **Respondet Imola,** etiam comprehendit.

Inter extrauagantes communes de regularibus extat excommunicatio Pontificia edita à Martino Quarto, quæ incipit: *Viam ambitiosa,* vbi habetur sic: *Statuentes, quod de cætero nullus religiosus Ordinum Mendicantium quorumcumque, cuiuscumque gradus, status, conditionis, vel Religionis existat, quantumcumque, & qualitercumque possit, & debeat virtute cuiuscumque licentiæ, etiam indulti Apostolici, seu Penitentiarij*



nostri curam gerentis, vel alia quavis auctoritate hactenus etiam per literas Apostolicas facultatem quarumvis tam Legatorum, vel Nunciatorum Sedis Apostolicæ, quam alia auctoritate maxime de transferendis Fratribus, aut aliquibus, præsertim Ordinum Mendicantium professoribus sub quacumque verborum forma appareant, admitti aut recipi per aliquos etiam Superiores Ordinis, seu Monasterij seu loci Monastici, seu alias in Monachum, vel in Fratrem alicuius ex Ordinibus Monastici, tum Sancti Bonedicti, quam Cisterciensis, Chamaldulensis, Vallis Fimbrosæ, Canoniorum Regularium, vel aliorum Monasticorum Ordinum; excepto dumtaxat Ordine Carthusiensium sub pena excommunicationis, quam ipso facto incurrant, tam recipientes, quam ipsi recepti: à qua excommunicatione nemo possit absolueri, nisi Romanus Pontifex, præterquam in mortis articulo. Hactenus Constitutio.

In Concilio Trident. Sess. 14. De Reformatione, cap. 11. ita sancitur: Quia Regulares de vno ad alium ordinem translati facile à suo Superiore licentiam standi extra Monasterium obtinere solent; ex quo vagandi, & apostatandi occasio tribuitur: Nemo cuiuscumque ordinis Prelatus, vel Superior vigore cuiusvis facultatis aliquem ad habitum, & professionem admittere possit, nisi in ordine ipso, ad quem transferitur, sub sui superioris obedientia, in claustris perpetuo maneat; ac taliter translatus, etiam si Canoniarum Regularium fuerit, ad Beneficia secularia et am curata omnino incapax existat. Hæc ibi. Et in Sess. 25. De regularibus, cap. 19. ad finem dicitur: Nemo Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem, nec de iure licentia cuiuscumque Regulari occultè ferendi habitum sue Religionis. Hæc Concilium: ubi nihil defuit de Transitu ad æquè arctam, vel arctiorem religionem. Extrat item Constitutio Pontificia edita à Pio Quinto anno 1569. quæ incipit: *Quæcumque sacrarum*, in qua rescindit; & abrogat facultates omnes præter ius commune concessas, recipiendi, vel retinendi Religiosos alterius ordinis, etiam laxioris. Verba Pontificis hæc sunt: *Renouamus, & abolemus omnia, & quacumque privilegia, facultates, dispensationes, & iurisdicia præter ius commune dispositionem emanata, recipiendi, vel retinendi Fratres, Monachos, Canonicos, & alios etiam laxiorum Ordinum professores, quibuscumque Ordinibus, Monasterijs, Hospitijs, Militijs, & pijs locis, etiam Sancti Antonij Viennensis, Sancti Spiritus in Saxia, de Vrbe S. Ioannis Hierosolymitani, Iesu Christi, Sancti Iacobi de Spatha, S. Lazarii Hierosolymitani, eorumque Ecclesijs mensuris, Superioribus, & personis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem Apostolicam, tam in ipsorum Monasteriorum, Hospitijs, & locorum institutione, quam deinceps quomodocumque, quotiescumque, etiam per modum statuti perpetui, ac iuris, & stipulati contractus, & alias sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis restitutionibus, præsertationibus, mentis attestationibus, derogatorijs derogatorijs, alijsque fortioribus, efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & alijs decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, de quæ simili potestate plenitudine, etiam pauperum, infirmorum, miserabilium, & cuiuscumque alterius pii operis intuitu, ac etiam ex quibuscumque alijs causis, quantumvis grauibz, charitatijs, & necessarijs, etiam consideratione, vel ad supplicationem Imperatorum, Regum, aliarumque Principum, nec non sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, de quæ illorum consilio, & matura deliberatione prius habita, concessa, confirmata, ac etiam multiplicatis vocibus innouata, extensa, vel*

etiam moderata. *Ac volumus, ut post hæc illorum sit reuocatum prætextu, Prælati, & Superiores prædicti, aut alij quicumque, nullum profus, alterius, etiam laxioris ordinis, vel obseruantie, Regularem, etiam Specialem transferendi ad ipsos licentiam (iuxta huiusmodi privilegia dantur) ferentem, ad habitum, & professionem Regularem in suis quisque Monasterijs, domibus, locis, vel ordinibus, etiam in claustris perpetuo maneat, admittant: nec omnino quemquam recipiant, vel retineant, eos verò, quos in aliquo ex casibus supradictis (vigore huiusmodi privilegiorum tantum, ac præter ius commune dispositionem) iam habent translatis, ad eorum Superiores, & loca eius ordinis, unde erant profecti, quamprimum remittant: Decernentes admissiones, receptiones, & retentiones huiusmodi nulla firmitate subsistere, neminemque profus ulli voto, ullique Regula, vel obseruantia etiam inuicentis, aliaque solemnitate promissa obligare. Quæcumque verò aliquem contra huius nostre reuocationis timorem admitterint, aut receperint, aut illos, aut quos iam habent (modo prædicto) translatis, aut receptos retinuerint, ipsos omnibus, & singulis dignitatibus, administrationibus, beneficijs, officijs, fructibus, & pensionibus Ecclesiasticis presentium auctoritate priuamus, & ad futura eoisipso, inhabiles esse volumus. Hæc ibi.*

Pius item Quartus in alia Constitutione, quæ incipit. *In sublimi B. Petri*, facultatem summi Pœnitentiarij Apostolici restrinxerat, præcipiens, ne concederet Religiosis licentiam standi extra Monasterium propter infirmitates, & similia impedimenta, nec etiam pro subuentione parentum, aut puillorum, vel aliorum consanguineorum, nisi obtenta licentia suorum Superiorum: & in facultatibus transseundi de ordine ad ordinem, etiam ex causis à iure permisis apponeret semper clausulam, *Quæ perpetuo ibidem in claustris Domus familiariter teneantur; & apostatis absolutionis beneficium non concedat, nisi ea lege expressa, ut statim ad claustra proprii ordinis redeant, vel ad alium ordinem transseant equalis, vel arctiori obseruantia, ut ibi perpetuum vitam agent. Nec illis, vel alijs translatis indulgeat, ut beneficia Ecclesiastica obtineant, vel illis vii mercenarij deseruare, aut alias etiam de Superiorum suorum licentia extra claustrum quoquomodo degere possint.* Hæc Pius Quartus in illa Constitutione.

Decimotertiò queritur, an Regularis ex vna religione, vel ex vno Monasterio ad aliud transfrens debeat in eo denuò professionem emittere? Hanc quætionem tractat Nauarrus consilio tertio, De Regularibus. Porro Imola in Clement. prima, De Regularibus, numero 19. sequutus Ioannem Lignanum videtur negare, præsertim cum ex vno Monasterio ad aliud Monachus transit, eam ob causam, quod in omni religione dam professio solemniter emittitur, sunt tria vota, quæ ad religionis substantiam, & naturam pertinent: ergo Monachus professus in vna, non debet in alia professionem facere, cum sit simpliciter Monachus Religionem professus. Federicus verò, quem citat Nauarrus, docet, Monachum electum in Abbatem alterius Cœnobij non debere in eo nouam professionem emittere: unde distinguit, aut Monachus transit, ut præsit, aut ut subdit: ut præsit tamquam Abbas, Prior, vel Superior, non est necesse, ut denuò profes-

fessio.



professionem emittat: ut subdit, necessaria est secunda promissio. Contrarium Nauarrus affirmat, ratus requiri professionem secundam: tum quia licet fuerit Monachus vnius religionis, Ordinis, vel Monasterij, non tamen eo ipso, est alterius: tum etiam, quia vnaquaque religio suis Constitutionibus gubernatur, ac regitur, & oportet, vt omnes eiusdem Ordinis Monachi eiusdem legibus, & Constitutionibus teneantur. At nisi noua fieret professio, regularis ad aliam Religionem translatus, esset ipsi Constitutionibus & legibus solutus, quibus alij tenerentur. Item singula Monasteria, quando non sunt in cura, & potestate vnius Generalis Praefecti suis statutis & legibus viuunt: & vnum Monasterium saepe seueriori, duriori, & arctiori instituti regula tenetur. Opinio Nauarii vera est, & locum habet, quum sit transitus ex vno Ordine vel religione ad alteram: item, cum ex vno Monasterio ad aliud, & singula suis institutis & legibus tenentur: tunc enim Monachus in vno Monasterio professus nequit fieri Monachus, & filius alterius, nisi in eo denuo professionem faciat. At vero sententia Federici etiam locum habet, cum Monachus vnius Monasterij eligitur in Abbatem, Priorem vel Praefectum alterius: nam eo ipso, quo in ea Praefectura confirmatur, & eam exercet, videtur tacite professionem in eo Monasterio, cui praesit, emittere. Ex quibus sequitur, vt Monachus ad aliud Monasterium translatus capax non sit Beneficiorum regularium ad illud Monasterium vel Ordinem pertinentium, nisi in eo profiteatur, vt docet Nauar. *consil. 60. de regularibus. ex cap. cum singula. de preben. in sexto.* Item locum in sedendo & suffragium ferendo habebit iuxta tempus, in quo professionem emittit in secundo Monasterio.

Decimoquarto quaeritur, An Carthusianorum Religio sit arctior Religione Minimorum? Hanc quaestionem tractat Nauar. *consil. 10. de regularibus.* Vnde vna cum ipso respondeo, Minimis (vt fertur) Pontificiam Constitutionem a Julio secundo editam impetrasse, in qua videtur Pontifex asserere, eorum religionem esse ceteris omnibus religionibus arctiorem. Deinde, Minimi praeter tria vota religionum communia, quartum emittunt, quo vouent se nunquam viros alijs cibis, nisi eis, quibus vtuntur in ieiunio quadragenario; excepto tempore, quum morbo laborauerint. Cum tamen Carthusiani iure vtantur ouis, caseo & lacte etiam dum valent. Negari non potest Minimis aliqua durius obseruare, quam Carthusiani obseruent: at vero ius commune concedit transitum ab Ordinibus Mendicantium ad Carthusianos, tamquam ad arctioris & durioris instituti Monachos. Item Carthusianis etiam dum morbo tenentur, interdictus est elus carniuum, Minimis non item. Carthusiani praeterea silentium maximum seruant, & vitam solitariam. Horum denique clausura est veluti quidam carcer perpetuus.

Decimoquinto quaeritur, An Regularis ex vno Ordine ad alium migrans, debeat per integrum annum in probatione persistere; vt professio in Religione ad quam transit, sit rata: Si quidem Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 15. De*

*Regularibus.* definit nullius esse momenti professionem, nisi Nouitius ad annum integrum post habitum susceptum probetur? Responder Nauarrus in *consil. 49. De Regularibus. num. 4.* necessariam esse integram anni probationem, eo quod debeat noua professio fieri: & Concilium generatim ad professionem, vnius anni probationem requirit, & postulat. Obijcies, huiusmodi Religiosum esse veteranum, ergo tyro, aut Nouitius esse nequit. Responder Nauarrus esse quidem veteranum & professum; at vero factum esse tyronem, & Nouitium in ea Religione vel Monasterio, ad quod transiit: nec enim pugnat, esse veteranum in vna religione, vel Monasterio, & Nouitium in altero.

Decimosexto quaeritur, An Religiosus Franciscanus ex his, qui vulgo Obseruantes aut Cappuccini vocantur, iure possit ad Carthusianos transire, & e contrario, Carthusianus ad Cappuccinos, vel Minores? De hac quaestione Nauar. *consil. 68. De Regularibus. Testatur Sijuestor Religio. 4. quest. 6. in Academia Parisiensi fuisse Theologorum, & Canonici iuris Doctorum sententia decretum, licere Carthusiano transire ad Dominicanos plene & perfecte suam Regulam cum Constitutionibus obseruantes. Quod si ita est, licebit etiam Carthusiano ad Minores vel Cappuccinos transire: praesertim cum Cappuccini contendant suae Religionis institutum, esse Carthusianorum regula durius & arctius. Nauarrus tradit, tuta conscientia liberum esse transitum ex alterutro praedictorum Ordinum, dummodo fiat studio, & amore vitae melioris & perfectioris, & citra omnem offensionem, ac litem inter illos. Certè iure Canonico, vt paulo antea iam dixi, permittitur transitus ex Mendicantibus ad Carthusianos, vt constat ex *extrauag. viam. de regularibus inter communes.* de transitu vero ex Carthusianis ad Mendicantes nihil legi expressum in iure. Sanctus Bonaventura in *opusculo de determinationibus quaestionum circa regulam S. Francisci, capit. 12. c. 13.* ait, ex quolibet Ordine posse Religiosum transire ad Ordinem Sancti Francisci: & ex Ordine Franciscano non posse Religiosum ad alium Ordinem migrare. Sed in hoc seruandum est, quod constituitur in *extrauag. viam. de regularibus inter communes.**

### Cap. XV.

#### *Aliae quaestiones ad eandem rem pertinentes soluantur.*

Primo quaeritur, An Minister, vel Praepositus quilibet Generalis alicuius Ordinis iure possit facultatem concedere transeundi ad laxiorem religionem iusta ex causa? Respondeo cum Innocentio, Hostiensi, Ioanne Andrea, Abbate, quos refert, & sequitur Nauar. *consil. 56. de regularibus.* ex iure communi posse, ita tamen, vt scripto constet, eam facultatem Praepositum Generalem dedisse, & ex causa iusta, & prius cognita, ne is, qui transit, postea reuocetur, aut aliqua ratione vexetur. Nam Romanus Pontifex huiusmodi facultatem dare potest ex iusta quidam causa prius



nota & approbata, sed minimè scripto tradita. Cæteri verò eò inferi oēs dare nequeunt, nisi ante cognita iusta causa, & expressim scripto mandata. *Objicies* Concilium Tridentinum *Sess. 25. de Regular. c. 19.* decreto cauere, ne vllus Regularium cuiuslibet facultatis vigore ad religionem laxiorem transferatur. *Respondeo* cum Nauarro, nō fuisse Concilium facultates cum iure cōmuni congruentes, quales sunt, quæ conceduntur iustis de causis, & seruato debito iuris ordine: abrogatæ nimirum facultates sunt, quæ sine iusta causa dari solent, aut non præcedente iusta causæ cognitione & approbatione.

Secundò queritur de eo, qui ad laxiorem religionem præter aut contra ius transiit, & ad faniorem mentem reuersus repetit prioris Religionis Cœnobium, sed in Religionem non admittitur, eo quod sit prouectæ iam ætatis, aut podagra, aut comitiali, alioue simili morbo laboret, an tūto in laxiori religione permanere queat? *Respondeo*, cum indigere Romani Pontificis beneficio, vel alterius, qui possit facultatem concedere: quoniam et si iusta subest causa eius facultatis concedendæ, tamen sicut absque facultate legitima transeundo peccauit, sic absque ea etiam persistendo delinquit, ac propterea illam petere debet. Neque enim cum idonea & legitima sub sit causa, & facultas permanendi denegabitur.

*ROGABIS*, quid sit dicendum, si post Pontificiam Constitutionem Pij V. quispiam ad laxiorem Religionem migrauerit, & ad priorem reuersus, vt Pius V. iubet, repulsam patiat, & Iudices Apostolicos adeat, qui causa cognita decernant eum in laxiori religione, ad quam transiuit, permanere, incurratne censuras, & pœnas ab eodem Pontifice irrogatas ijs, qui non reuertuntur ad pristinam religionem, cum ad laxiorem transierint? *Respondeo*, non incurrere, quia nimirum ad priorem se referens religionem: nequaquam admittitur, & in laxiori, ad quam se transtulit, remanet; non quidem vi facultatum, quæ penitus Constitutione Pij V. abrogantur, sed vi lenientis lætæ à Iudicibus Apostolicis ad id destinatis. Ita Nauar. *conf. 72. de regular.*

Tertiò queritur, Ad quam Religionem vel Ordinem pertineant bona eius Monachi, qui ex vno Monasterio, vel Ordine transiit ad alium. Hanc questionem fuse tractat Siluest. *Religio 4. quest. 10.* Angel. *Monasterium. q. 6.* Rosell. *Religio. 4. num. 11.* Nauar. *Comment. 4. de Regular. num. 24.* & Couarruias *cap. 1. de testament. num. 20. c. 21.* Respondet Hostiensis distinguendo: si ante professionem emissam migrauerit, vnà cum eo bona vniuersa transferuntur, si verò post illam & sine facultate legitima, eius bona penes Monasterium, vnde recesserat, manent, ac sibi imputet Cœnobium, quod illum transeuntem admittit. Si autem ex legitima facultate transierit, vsufructus bonorum, quæ priori Monasterio contulerat, debetur posteriori, ne illi sit oneri. Hæc ille ferè. Sed verius mihi videtur, quod tradit Panormitanus in *capit. Quid à te, de Cleric. coning. c. 1. In presentia. c. 1. causam, de probacionibus*, ex alijs, quos ille citat, & sequitur, si transierit, inquit, ante professionem, & priori Monasterio expressè, & absolute sua bona donauerat,

tunc personam sequuntur; & proinde vnà cum eo transeunt ad secundum: nam à priori recedens tacitè videtur donationem reuocasse, cum veluti causa mortis facta esse videatur. Ergo, sicut donatio causa mortis facta, morte non secuta repetitur, sic donatio causa professionis facta, si ea non sequatur, rescinditur. Et propterea transiens ad secundum Monasterium, iure sua bona repetit atque recuperat. Si verò post professionem emissam transierit; aut transiit esse iure concessus, aut non: Si secundum, cum professio quoque secunda sit inanis & irrita, bona quoque pertinent ad prius Monasterium, ad quod redire ipse Monachus debet: nec refert, si in secundo professionem emittens, ei expressè sua omnia bona donet: donatio enim locum non habet, sicuti nec professio; sit enim donatio causa professionis, quæ bona fide putat raram esse; cum tamen non sit ac propterea idem est, ac si Caius credens Titium esse suum filium, eum institueret hæredem, in eum sua bona transferret, cum filius ipse Caij non esset. Quod si mala fide professionem faciat, tota donatio, & professio reuocatur. Si autem ad secundum Monasterium transierit facultate legitima, facta in eo Monasterio professione, aut transiit esse propter eius crimen, vt in archiepo Religionis illud plangat, & expiet; & vsufructus bonorum ad secundum Monasterium pertinet, proprietatis ad primum, ac post mortem vsufructus ad proprietatem redibit. Aut transiit sit studio vitæ melioris. Et de hoc sunt duæ opiniones: Vna docet omnia bona penes primum Monasterium manere, & quicquid post professionem in secundo factam ei obuenerit, secundo Monasterio acquiri. Sic Petrus Perusinus sentit, vt referunt Siluester, & Rosella, cui subscribere Siluester, & Nauarrus *locis citatis*. Et hanc communem esse sententiam ait Socinus *consil. 52. volum. 4.* vt citat Couarruias *loco citato*, nimirum inter iuris Ciuilis interpretes. Nam opposita, communis est inter iuris Pontificij peritos, vt refert idem Socinus *consil. 183. volum. 2.* Id probant ex *cap. Statutum, 18. quest. 1. vbi generatim lancitur bona Monachi in Episcopum electi acquisita ante dignitatem, & munus Pontificium ad Monasterium pertinere*. Altera opinio tradit, omnia bona, quæ ad prius Monasterium transierunt, vnà cum Monacho ad aliud se conferente transferri. Sic Cardinalis, Abbas, Paulus, Bonifacius, cuius sententiæ videntur etiam fuisse Ioannes Andreas, Archidiaconus, Hostiensis, Henricus, Antonius, vt refert Couarruias *cap. 1. de testament. num. 20* Quod ex eo nituntur colligere, quod spes succedendi in bonis paternis, vnà cum Monacho transiit ad secundum Monasterium: & proinde, si post transitum parentes Monachi decefferint, secundum Monasterium succedit, non primum: non igitur omnia bona patrimonialia Monachi ad prius pertinent Monasterium; siquidem ius, & spes succedendi in bonis paternis ad secundum, vnà cum persona transfertur.

Mihi prima opinio magis cum iure congruere videtur, licet secunda sit magis vsu & consuetudine recepta. Nam profectò in *capit. Statutum citato*, generaliter dicitur omnia bona ante transitum acquisi-

acqui-



acquisita ad prius Monasterium spectare. Nec est, cur Panormitanus dicat, intelligi de bonis, non quidem patrimonialibus, sed industria, arte, vel labore Monachi comparatis; nam ibi caput nihil in hac re distinguit: ergo generaliter verba illius capituli sunt accipienda. Nec idem iudicium est de spe & iure succedendi, quod de bonis ante iam partis: nam spes & ius succedendi personam comitatur & sequitur, cum non sit Monasterio priori acquisitum: & proinde Religiosus se ex primo ad secundum Monasterium recipiens, ius, quod habet in bonis paternis succedendi, ad illud quoque transfert, non autem bona, quæ erant priori Monasterio quæ sita. Quod fit, ut si Religiosus Franciscanæ familiæ Observantis vel Cappuccinæ in Episcopum eligatur, ius habeat succedendi in hereditate paterna, quam acquirat Ecclesia, cui præest: eo quod ad munus & dignitatem Pontificiam euectus, & à religiose vitæ instituto ex parte absoluitur, ac in statum pristinum restituitur, quoniã recuperat ius succedendi in bonis parentum. Ex quo deducit Covarrutias, Paulum, Cardinalem, & Bonifacium sequutus, in Clement. vi. de electione. Legatum relicto Monacho sub conditione acquiri illi Monasterio, vel Ordini, in quo Monachus vitam agit tempore, quo conditio impletur, & non alteri, in quo vivebat tempore, quo relicto est legatum. At verò si promissio sit facta Monacho sub conditione, & conditio impleatur post factam professionem in secundo Monasterio, res promissa ad primum Monasterium pertinet, non ad secundum: eo quod in ultimis voluntatibus spes non transmittitur ad hæredes. *L. cum hæredes ff. quando dicitur legat. cedat.* In contractibus verò transfertur ad hæredes. *L. si filius familias ff. de verborum obligat.* Vel quia primum Monasterium iam acquisierat ius ad rem, quamvis nõ ius in re.

**S I R O G E S,** quid sit dicendum de eo, qui transfuit ex Ordine religiosorum, qui capax est bonorum iure hereditario perveniens ad Monachos, ad Franciscanam familiam, & in ea secundò professus est, & post professionem in ea factam per obitum patris hereditas ad eum pervenit? Quidam aiunt eam hereditatem ad primum Ordinem, in quo primam professionem fecerat, pertinere: eo quod Franciscana familia hereditatis capax non sit. Alij probabilius opinantur, eam ad alios patris legitimos hæredes pertinere, quia per professionem secundò factam in Ordine Franciscanorum desit omnino esse Religiosus primi Ordinis, quia ab eo absolutus est.

### Cap. XVI.

#### De Fugitiis, Eiectis, & Apostatis Regularibus.

**P**rimò queritur, In quo differant Regularis Fugitivus, Eiectus, & Apostata? **R**espondeo, Fugitivum propriè eum esse, qui abiiciens Obedientiæ iugum, se subtrahit Præposito suo, & à Monasterio recedit, ut se Præposito celet, siue habitum exuat, siue non, in *L. quis sit Fugitivus ff. de delictis editis*. Veteres iuriconsulti variè definiunt & explicant, quinam fugitivus servus di-

catur. Sic enim ibi habetur: *Quis sit fugitivus, desinit Offilius. Fugitivus est, qui extra Domini domum fuge causa, quo se à Domino celaret, mansit. Cælius autem fugitivum esse ait eum, qui ea mente discedat, ne ad Dominum redeat; tamen si mutato consilio ad eum revertatur: nemo enim tali pacto, inquit, penitentia sua vocens esse desinit. Casinus quoque scribit, Fugitivum esse, qui certo proposito dominum relinquit. Item ad Viniandum relatum est, Fugitivum ferè ab affectu animi intelligendum esse, non utique à fugatam eum, qui hostem, aut latronem, incendium, ruinamve fugeret, quamvis fugisse verum est, non tamen fugitivum esse. Item, nec eum quidem, qui à præceptore cui in disciplinam traditus erat, fugisset, fugitivum esse, si forte ideo fugit, quia immo deratè eo viretur. Idemque probat, si ab eo fugerit, cui erat commodatus, si propter eandem causam fugerit. Idem probat Viniandus, si servus cum eo agebat; hæc ita, si eum fugisset, & ad dominum venisset. Ceterum, si non ad dominum venisset, sine ulla dubitatione fugitivum videri ait. Idem ait Proculus de eo (interrogatus) qui domum latisset, in hoc scilicet, ut fugæ nactus occasionem se subtraheret. Nam ait, tamen si fugere non posset videri, qui domum mansisset: tamen eum fugitivum fuisse. Sin autem in hoc tantum latisset, quoad iracundiam domino deseruisset, fugitivum non esse; sicut nec eum quidem, qui cum Dominum animadverteret verberibus se afficere velle, præripuit se ad amicum, quem ad precandum perduceret; sed nec eum quidem fugitivum esse, qui in hoc progressus esset, ut se precipitaret. Illud enim verum non est, esse fugitivum eum, qui non sit aliqua sine voluntate Domini mansisset, sed ab affectu animi cuiusque æstimandum. Idem Viniandus ait: Si à magistro puer recessit, & rursus ad matrem pervenit: cum quaereretur, num fugitivus esset? Si celandi causa, quò ne ad Dominum revertatur, fugisset, fugitivum esse. Si verò, ut per matrem faciliorem deprecationem haberet delicti alicuius, non esse fugitivum. Hæc ibi. **Eiectus** est is, qui ob culpam suam extra Monasterium expellitur. **Apostata** est susceptæ Religionis desertor, hoc est, qui à Monasterio recedit animo & voluntate liberè extra Monasterium vivendi. Fugitivus enim aliquando sese ad tēpus fuga proripit. Quare omnis Apostata est fugitivus; quamvis non omnis fugitivus, Apostata esse videatur.*

**Secundò queritur, An Cœnobium ius habeat eiiciendi Monachum? Cardinalis in Clement. Ne in agro. §. Quia verò. de statu Monachorum.** sentit ob nullum crimen posse iure communi à Monasterio Monachum eiici, etiamsi contumax sit, & obedire recusaverit, & corrigi, ac emendari noluerit. Id ille colligit ex cap. Impudicus. 27. quæst. 1. & cap. Ne Religiosi. De Regularibus. quæ iura derogare videntur auctoritatem Regulis Monachorum concedentibus facultatem eiiciendi Monachum. **Sed** communis est sententia receptum, quod S. Bonaventura in opus. quod scripsit de determinationibus questionum circa Regulam S. Francisci, cap. 14. Humbertus in expositione Regule S. Augustini, cap. 99. Turrecrem. in expositione Regule S. Benedicti, tract. 88. tradiderunt; posse expelli eum, qui obedire & corrigi noluerit, ut expressim docuerunt Angelus verbo Abbas, q. 18. Silu. religio 6. q. 17. Tabien. religio. q. 45. Armil. religio. q. 28. S. Th. auctoritate permoti. quod d. 12. q. vlt. ubi ait, quoniã secundum Apostolum malum est auferendum, ne modicum fermentum totam massam corrumpat: ideo Monachus si corrigi, & emendari renuerit, cum contumax est, merito repellitur. Quæ opinio & cum iure ipso, & cum regulis religionum cõ-

gruit;



gruit; denique cum rationis ipsius præscripto. Etenim in *c. vl. de Regularib.* tanquam certum ponitur id iure fieri posse: nam ibi statuitur, vt fugitivi vel eiekti reducantur: & Regula S. Benedicti aperte concedit, 19. Monachum semel & iterum fugientem è Monasterio posse recipi, si de peccato dolens reuertatur; at si tertio recesserit, eum non amplius admittendum, Immo etiam manifestè præscribit, Monachum, qui sæpe admonitus sese non emendauerit, ferro abscessionis eiiciendum, ne vna ovis moribunda totum gregem contaminet. Deinde subiungit hæc verba: *Frater, qui proprio vitio egreditur, aut proijciatur à Monasterio, & reliqua.* Regula quoque S. Augustini facultatem & ius tribuit Monachum eiiciendi. Et ita est vbique in more positum, vt Religiosi ob certa crimina per sententiam è Monasterio expellantur. Decernit enim Regula S. Augustini, si quis emendatoriam subire vindictam recusauerit, de vestra Societate proijciatur: non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.

Ac ius quidem etiam naturale id manifestè confirmat. Si enim Monachus corrigi, & emendari nolit, ne ceteros offendat, aut corrumpat, extrudi & eiici potest. Sic Clericus ob crimina, omni Ecclesiastico privilegio nudatus, civili magistratui, ac potestati traditur.

**Objicies,** solū inde cõcludi iure eū posse ad perpetuum carcerē condēnari; non autem extra Monasterium eiici, ne liberè, ac licenter viuat; sic enim ei sæpius peccandi dabitur occasio, si suæ libertati permittatur. **Respondeo,** si extra Monasterium expellitur, non hoc ideo fit, vt liberius peccet, ac deterior fiat, sed vt pudefactus, ita citius & commodius resipiscat. Deinde **objicies,** Monasterium Monacho alimenta debere, non igitur ijs denegatis potest inde detrueri, ne fame confectus intereat? **Respondeo,** meritò ei alimenta denegari, vt facilius, ac promptius ad meliorem vitam frugem sese deducat. Neque tamen Monasterium illi vitium necessarium subtraheret, penitus ad eum sibi comparandum inepto, nec aliunde habituro, vnde commodè viuere posset. Quare cum possit sibi ipse de vitio prospicere, meritò & alimentis, & Monasterio priuatur, vt ad mentem redeat saniozem. Sic enim vexatio dabit intellectum. **Demum objicies** id, quod habetur in *c. vl. de Regular.* vbi præcipitur, vt Præpositi fugitivos, & eiektos perquirant, & reuocent, atque eos corrigant. **Respondeo,** nihil argumento concluditur, quos ibi eiektos intelligat ius Canonicū inferius exponā, in præsentia dicere satis est, nomine eiektorū eo capite accipi eos, qui absq; iusta causa dimittuntur. Sed tales non sunt, qui eiiciuntur, quod corrigi & emendari recusant, aut quos expellendos Religionis institutum, & regula præscribit, aut qui legitima sententia ob delicta expelluntur.

**Tertio queritur,** An ob alia vitia, & crimina præterquam ob contumaciam Monachus professus possit iure è Monasterio expelli? Sententia est aliquorum nullum professum, quibuslibet criminibus, ac vitijs obstrictum, posse extra Monasterium & Ordinem eiici, dummodo corrigi & emendari velit, sed in carcerem perpetuum,

vel ad tempus detruendum, vel alia poena iuxta religionis instituta meritò coercendum: Id probat, quoniā ita docuerūt Ang. Silu. Tab. Ar. mil. *loc. sup. citat.* S. Th. auctoritate perducti, quorū sententiam videtur etiā ante eos tenuisse Card. & Abb. & alij. Ne eiektus Monachus occasionem arripiat liberioris & licentioris vite, cum magna multorum offensione. Mihi tamen videtur probabilius, iure quidem communi non nisi eos, qui corrigi renunt, posso iure dimitti, & auctores præfati de hoc iure communi videntur loquuti: at iure peculiari, & instituto cuiusque religionis ob multa alia delicta, & vitia potest Monachus meritò expelli. Regula August. ob contumaciam solam, Monachum eiiciendum præscribit. At Regula S. Benedicti habet, ne Monachus tertio recedens, amplius admittatur, quamuis redeat: & alia quæ sunt religionum instituta, quæ constituunt, vt si quis in professione emittenda, aut in ipso in religionem ingressu certum vitium, aut crimen tacherit, aut certum morbi contagiosi genus occultauerit, aut postea certum delicti genus admisserit, liberè dimitti & expelli queat: nam in his religionum Ordinibus, in professione, quam religiosus emittit, aut in ingressu, quo in religionem admittitur, tacita subest conditio & conuictio, vt si hoc vel illud vitium vel crimen, vel morbum tacherit, vel delictum admisserit, eiiciatur.

**Quarto queritur,** An extra Monasterium eiektus eo ipso sit trib. religionis votis solutus & liber? **Resp.** minimè; nec. n. penes religionē ius est, vltimè auctoritas professū religiosū voto liberandi. Quare Monasterio eiektus nihil tāq; propriū sibi potest acquirere, neq; capere, sed solū ius habet ea sibi querendi, quibus omnino ad victum, vestitum, & habitationem indiget. Nec horum proprietatem, aut dominium, vel vsum, aut vsum fructum, qui in iure consistit, vllō modo sibi comparat, sed nudum vsum, qui res est facti, nō iuris: nec enim cum voto paupertatis per solemnem professionem facti, pugnat vsum rei ad vitam simpliciter necessariū. **SI QVAERAS,** an idem ius sit de quolibet eiektō: nam quidam eiiciuntur, vt contumaces, eo quod emendari, & corrigi recusent: alij expelluntur, eo quod sententia iudicū qui ad id destinantur, conuicti criminum, dimittuntur Monasterio, & habitu religionis priuati, vt indigni. **Resp.** idem ius esse in omnib. eiektis & expulsis, nā religione, habitu, & alimentis debitis spoliatur, sed votis nō soluitur: quare vitio; sint, votis religionis tenentur obstricti, neq; enim desinūt esse Monachi, vel religiosi, sed ob delicta eiiciuntur, vt extra Ordinem vel Monasterium viuant, & poena iusta ac debita puniantur.

**Quinto queritur,** An qui ante ingressū in religionē votū fecerat religiosā vitā simpliciter suscipiendi, ac postea certā aliquā religionē professus, & ab ea meritò expulsus, debeat aliā exquire re, & petere, si eū facti iā sui penitentiā religio prior recuset admittere? **Quidā,** inter quos videtur esse Sor. *l. 1. de iust. q. 2. a. 1. ad. 3. existimās,* eū oportere aliā adire, eāq; amplecti, eo quod ante professionē emissā erat adstrictus simplici voto religionē absolutè capessendi. Deinde, quia sicut qui post simplex Castitatis votū ad Matrimonium transiret, q; postea morte cõiugis solueretur, deberet



omnino castitatem seruare: & pari ratione Religiosus ad Episcopatum euectus, si se eo munere abdicaret, iure cogere ad Religionem, vnde assumptus & electus ad dignitatem fuerat, reuerti: sic etiam religiosus eiectus, votum religionis, quod ante professionem emiserat, debet exoluere. **Mihitamen** horum sententia aut falsa, aut certe dubia videtur: quoniam obligatio semel extincta non redit: sed votum simplex Religionis per solemne in aliquo religiosorum Ordine emissum planè extinguitur, ergo nunquam reuiuiscit. Respondent illi, minime extingui, sed quasi sopiri, ac, vt dici in scholis solet, suspendi ad tempus. Sed hoc dici nequit, quia vt supra conclusimus, vota extra Monasterium facta, in solemnem Religionis professionem commutata, vere extinguntur, ac cessant. Alioquin enim in Monacho professio, & extra Monasterium eiecto cetera omnia vota antea Deo nuncupata reuiuiscerent. Accedit, quod eiectus Monachus adhuc suæ professionis vinculo tenetur, ac debet, si est eiectus, vt contumax, eo quod emendari & corrigi noluerit, ad Monasterium redire, nisi causa eum legitima soluat, ac liberet ab hoc obligationis nexu, cum per Monasterium non stet, quo minus reuertatur. Quod si per ipsum Monachum steterit, quo minus redeat, vel admittatur ad suam religionem, nullo iure cogitur ad alium se conferre, quod si publica sententia fuerit ob crimina repulsi, nihil refert, quoniam per solemnem professionem, quam fecit, vota, quæ antè emiserat, omnino cessant, & extincta. Neq; verò idè iuris est in eo, qui se post simplex castitatis votum matrimonio coniunxit: nec enim per Matrimonium, votum antea factum extinguitur. Ita cum Religiosus ad Pontificium munus & dignitatem eligitur & promouetur, non planè liberatur à voto: & propterea eo munere abdicatus, ratione voti cogitur ad Monasterium redire.

**Sextò** queritur, An Monachus eiectus debeat ad Monasterium redire correctus & emendatus, si cum Monasterium ipsum velit recipere? Item, eiectus ex vno Ordine religiosorum vtrū redire cogatur, si Ordo velit ipsum recipere? Respondet cum Nauarro *consil. 51. de Regularib. & consil. 3. de statu Monach. & Comment. 2. de Regularib. numer. 36.* eiectum publica sententia iudicatum ad id destinatum ad reditum nō compelli: quoniam sicut seruus derelictus à domino, eo ipso, fit sui iuris, sic Religiosus per sententiam iustam expulsus, quasi sui iuris efficitur, hoc est, tuta conscientia extra eam religionem, è qua eiectus est, viuit, vt in eo iustam sententiam, & poenam sustineat, ac iurat. Item, quia per sententiam iustam definit esse Monachus Religionis, vel Monasterij, vnde est repulsi. Insuper, quia per sententiam iustam est in perpetuum, non ad tempus condemnatus, vt extra eam Religionem, vel Monasterium viuat.

**Septimò** queritur, An debeat eiectus per sententiam iustam se ad aliam religionem conferre an potius cura conscientia possit extra omnem Religionem in sæculo viuere? Respondet cum Nauarro eisdem locis: iure posse in sæculo manere: quoniam nunquam vout ingressum in aliam. **Objicies**, cum vnus est professus, sese Re-

ligioni generatim obstrinxit. Respondet, verum id esse, sed manens in sæculo, Religiosus adhuc est, & tribus votis obstrictus, quamuis per sententiam extra Religionis claustra viuat.

**Octauò** queritur, Cuius Monachus fugitiuus acquirat extra Monasterium? Respondet cum Panormitano & alijs in *capit. vlt. de Regularib.* si nullam aliam Religionem profiteatur, nec vlli præficiatur Ecclesie, suo Monasterio acquirat: vnde Abbati ius est eum repetendi, & vendicandi sibi quicquid ille extra Monasterium comparauit, vt colligitur ex *c. Abbates. 18. q. 2.* sicut quicquid seruus fugitiuus acquirat, non sibi, sed domino acquirat: Si in aliud Monasterium fuerit ingressus, acquirat Priori, vnde fugiendo recessit: nam fugitiuus Monachus in aliud Monasterium iure nequaquam admittitur. Quod si legitime ad aliud Cœnobium se contulerit, Priori acquirat, quicquid ante ingressum in secundum lucratur. Ad secundum verò pertinet quicquid lucrificat post emissam professionem in secundo. Si fuerit Ecclesie seculari præfectus, aut id sit legitime, aut non sit. Si hoc secundo modo ad Monasterium attinet, quicquid comparat. Si primo, tunc quicquid lucrificerit studio, & causa Ecclesie, cedit in ius & dominium Ecclesie. Cetera verò, quæ causa suæ personæ comparat, ad Monasterium pertinent. **QVÆRES**, Cum dubitatur de aliquo, an id ratione Ecclesie, an verò ratione personæ acquiserit, quid tunc sit consilij capiendum? Respondet cum Abbate loco citato, rem coniecturis definiendam. Si id Monachus ille acceperit ab aliquo sibi propinquo, iudicandum est, ipsi datum gratia ipsius, non Ecclesie, cui præest, & proinde ad Monasterium transibit, si ab extraneo, cedit Ecclesie.

**Nonò** queritur, Cui acquirat Monachus è Monasterio vel religione eiectus? Resp. si sit contra ius eiectus, suo Monasterio acquirat, nā eiusmodi iniuria eiectio nihil Monasterio obest: neq; n. Abbatibus delictum Ecclesie nocere potest, *c. si Episcopi. 16. q. 6. & c. Delictum. De regul. in 6.* Vnde Monasterium iure cogitur eum repetere, & recipere, ita vt si id facere recuset, auctoritate Episcopi, vel alterius Superioris compelli queat, non solum alimenta debita, & necessaria ei præbere, verum etiam ea omnia bona restituere, quæ Monachus in Monasterio contulerat. Si verò sit per sententiam eiectus, quidam censent, in ius Monasterij cedere quicquid acquirat, sic Goffredus à Panormitano citatus in *c. 1. de infantibus & languid. expositis.* Idem videtur docere Sil. *Apostata. q. 9.* quoniam Monasterium ius suum non amittit, ob Monachi delictum, ratione cuius, per sententiam iustam eicitur: item Monachus eiectus respicere debet, & ita corrigi, & emendari, vt dignus sit, qui in Monasterium restituatur; ac proinde non est penitus abscissus. At secundum Nauarrum in *Comm. 2. de Regular. nu. 33. ex Abbate, in c. 1. de infantibus & languid. expositis. & c. vlt. de regular. non acquirat Monasterio.* Id probant illi, quia desijt esse Monasterij membrum & pars, nam pro derelicto habetur, veluti seruus derelictus non amplius domino acquirat. Et hoc magis Panormitano, & Glossa in *c. 1. de infantibus citato*, placuit, quod & mihi probabilius videtur, quoniam eiectus per sententiam iustam

habe-



habetur pro derelicto. Si QUÆRAS, cui igitur talis Monachus acquirat, si nec sibi, nec Monasterio acquirat? Et sermo est de electo, nec aliam Religionem professio, nec ad ullam Ecclesiam electo: talis enim Monachus, vel secundo Monasterio, vel cui præest Ecclesie acquirat. Afferit Nauarrus Abbatem sequutus, eum acquirere, quod ad dominium quidem & proprietatem attinet, Deo; quod vero ad ius administrandi, Romano Pontifici, aut Episcopo, in cuius est potestate. Panormitanus simpliciter ait, quicquid acquirat, ad Episcopum pertinere. Quidam Nauarrum oppugnat, eo quod dixerit eiusmodi electum religiosum, Deo acquirere. Quia certe dominium, & proprietatem negat Deo acquiri: summum enim illi rerum omnium dominium habet, nec aliquid omnino est, quod possit suum esse definire. Nihil enim potest incipere esse in dominio eius: id enim acquiratur alii cui, quod eius esse incipit, cum antea non esset. Sed Nauarrus ideo dixit, Deo dominium, & proprietatem acquiri; quoniam, ut alibi dicam, sentit, bonorum Ecclesiasticorum, cuiusmodi sunt etiam, quæ Religiosus acquirat, dominium esse penes Deum, administrationem vero penes Ecclesiarum præfectos: bona autem Ecclesiastica ideo dicuntur esse Dei, quia in nullius hominis bonis sunt, & eo ipso, quo facta fuerint Ecclesiastica, sacra, & religiosa, desinunt esse in bonis hominum, quia commercijs & vsibus hominum nunquam amplius inferuire queunt, quam diu bona sacra sunt. Dicendum itaque puto, bona omnia, quæ ille Monachus acquirat, ad Principem vel Rempublicam pertinere, hoc est, ad Romanum Pontificem, vel Ecclesiam, vel Episcopum; instar eorum bonorum, quæ vacantia dicuntur. Nec enim vlla esse queunt bona, quorum dominium, & proprietatem, vel ius administrationis penes aliquem hominem, aut hominum congregationem, aut Collegium, aut Collegij præfectum non sit. Vnde quemadmodum si quis absque vilo prorsus hærede decedat, eius bona tanquam vacantia, ad Principem, aut Rempublicam civilem deueniunt: sic etiam eius rei, quam ille Monachus electus acquirat, vsus, qui est res facti ad ipsum pertinet, ius vero administrationis ad Romanum Pontificem, qui est summus Ecclesie princeps, & supremus omnium religionum præfectus; ac proinde per obitum Monachi vsus, quasi ad proprietatem & dominium, hoc est, ad ius administrationis reuertitur, & cum eo vnâ coniungitur & eo solidatur, ut iuris periti loquuntur, vel ius administrationis pertinet ad Episcopum, in cuius diocesi; ac proinde in cuius cura & potestate eiusmodi Religiosus viuat.

Decimo quaeritur, Quidnam dicendum, si aliqua religio (quæ absit) deleteretur, & religiosi permitterentur separatim viuere, cuiusmodi acquirere id, quod donatione, industria, arte, vel labore compararent? Respondet Nauarrus in *Comment. 2. de regularib. n. 34.* dominium & proprietatem Deo acquiri, cuique vero illorum vsus nudum, qui est res facti, non iuris: ius autem administrationis esse penes Episcopos: in quorum potestatem Religiosi reciderent. Alij respondent, dominium, & proprietatem acquiri summo Ecclesie principi, hoc est, Romano Pontifici, in cuius potestate nunc

sunt vniuersi Religiosi ab Episcoporum iurisdictione exempti. Quod si Episcopus esset, ut olim, Monachi subiecti, tunc vsus sibi quisque acquireret, dominium, & proprietatem in Episcoporum potestatem & ius cedente. Bona enim, nisi pro derelictis habeantur, non manent incerta, quamuis nullum habeant heredem, sed ad principem, vel Rempublicam pertinent, quod attinet ad eorum dominium: & ius administrationis, ergo eorum bonorum administratio ad Episcopos, vel ad Romanum Pontificem pertineret.

Vndecimo quaeritur, An Religiosus electus, si nullam aliam religionem capessat, debeat se Episcopo offerre, ut in eius sit cura & potestates eius mandatis & iussis parere vi voti cogatur? *Nauar. Comment. prædicto. n. 35.* respondet, id ab eo fieri oportere, cum tribus sit votis Religionis obstrictus, ac proinde debet esse in Episcopi potestate, ut ei tanquam præposito & superiori in omnibus obediat. At enim Nauarrus firmo argumento non conficit: nam professus solemniter Religionem, se voto obstringit, quo promissit, se perpetuo obediturum præposito Generali, ac eius omnibus successoribus, non alijs. Si igitur per iustam sententiam extra Monasterium emittitur, vi & ratione voti non cogitur alteri obedire. Quare satis est, si Episcopo instar aliorum Clericorum obtemperet. Item, eiusmodi religiosus electus non cogitur, ut etiam Nauarrus fateatur, vi voti ad aliam religionem transire, quia id non vult. Ergo nec compellitur vi voti Episcopo se offerre, ut in eius cura & potestate speciali sit tanquam religiosus. Accedit, quod id vsus, & more nusquam seruatur. Postremo, eiusmodi Religiosus electus, quamuis absque religione sit, quia est de religione per iustam sententiam depulsus, est tamen vere & proprie religiosus: sicut Episcopus sua Ecclesia spoliatus, vere & proprie est Episcopus, & sine Ecclesia: ergo est tribus votis obstrictus, & eo ipso debet eo animo esse, ut Superiorum iussis obtemperet, quando cõuenit erit in Superiorum cura & potestate constitutus.

Hinc etiam soluitur illa Nauarrus quaestio, An Monachus electus debeat se Episcopo offerre, ut sibi certum vitæ modum, & rationem præferat, quam teneat: neque enim vi voti id facere debet. Soluitur illa etiam quaestio cuiusnam Episcopo se subijcere debeat, an originis, an domicilij, an Beneficij, in cuius Episcopi potestate erat, antequam Religionem capesseret: an potius Episcopo, in cuius diocesi situm est Monasterium, unde est expulsus. Præterea Nauarrus, eum subijci Episcopo originis, eo quod originis domicilium est immutabile. *L. Assumptio. ff. ad Municipales:* nec perditur per accessionem dignitatis, quæ non auferit, sed cumulat domicilium, *L. Seniores. ff. de Senatoribus.* Amplius, domicilium, inquit, ratione Abbatie, Monachatus, aut Beneficij, ad quod non durat, nisi quamdiu quis fuerit Abbas, vel Monachus, vel Beneficij possessor. Domicilium item habitationis tollitur, cum quis alio ad habitandum se confert: at per professionem Monasticam mutat, quis domicilium habitationis. Sed enim tota hæc quaestio vno verbo diluitur, electum Monachum in morem aliorum Clericorum Episcopo subijci, in cuius tunc diocesi viuat.



Duodecimò quæritur, Cui acquirat Religiosus per iustam sententiam Monasterio, & habitu priuatus, & ad trirèmes damnatus, si quid in eis fecerit lucri? Respondet Nauarrus *Commentario prædicto, num. 34.* quamdiu est in trirèmbus, Episcopo subijci, ad cuius diocesim cæteri, qui in trirèmbus detinentur, pertinent: & proinde illi etiam acquirere: quod si trirèmes euaserit, subijci Episcopo originis, & ei pariter acquirere. Sed quid si eiecti Religiosi relegentur ad Prouincias à sua origine omnino remotas? Ait Nauarrus ibidem, eos esse subiectos Romano Pontifici. Finge tibi aliquot Religiosos per sententiam iustam à Monasterijs apud Indos expulsos, & relegatos in Occidentem: subiecti, inquit, erunt Romano Pontifici. Porro, an penes Religionis Præfectum, sit potestas delinquentè Religiosum ad trirèmes dammandi, inferius disputabo.

Decimotertio quæritur, An Monachus per sententiam iustam eiectus ut possit tuta conscientia Clericorum habitu, absque vlla Pontificia facultate? Respondet cum Nauarro *comment. 2. de regularibus, num. 36.* posse: nam pristinum Religionis habitum contra sententiam deferre, fas ipsi non est; sicut nec uti alterius Religionis habitu, cum ad aliam non transierit, nec vllò iure transire compellitur, ut supra dixi. Quamuis S. Bonauent. in *opuse. de determinationibus quæstionum circa regulam S. Francisci, c. 14.* dicere videatur eiectum à religione transire debere ad aliam: nec posse iure in sæculo viuere. Sed cum Nauarro in *hòc capite, quæst. 7.* dixi, eum ad aliam religionem se conferre non debere. S. Bonauentura loqui videtur de eiecto, qui in sæculo citra probabile æternæ salutis periculum viuere non potest.

Decimoquarto quæritur, An eiectus Monachus liceat ex medicato cibo viuere; an potius debeat sibi victum manuum suarum labore conquirere? Respondet Nauar. *comment. citato, num. 37.* sicut cuique liberum est, sua omnia pauperibus erogare, & mendicatio cibo pasci, sic etià liberum est eiecto Monacho viuere ex elemosynis mendicatis.

### Caput XVII.

#### Alia quæstiones de eadem re dissoluantur.

PRIMO quæritur, An eiectus per sententiam iustam à Monasterio repeti debeat, rursum, An compelli queat ad illud redire? Quæstionem hanc mouet id, quod definit Gregorius Nonus in *cap. Ne Religiosi, De regularibus.* ubi ait: Ne Religiosi viri vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurvant, & sanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur: statim, ut presidentes Capitulis celebrandis secundum statum Concilij Generalis seu Patres, Abbates, seu Priores fugitiuos suos, & eiectos de ordine suo requirant sollicitè annuatim. Qui si in Monasterijs suis recipi possunt secundum ordinem Regularem, Abbates, seu Priores eorum monitione præsentia, per Ecclesiasticas censuras compellantur ad receptionem ipsorum, salua Ordinis disciplina. Quod si hoc Regularis Ordo non patitur, auctoritate nostra prouideant, ut apud eadem Monasteria in locis competentibus si absque graui scandalo fieri poterit: aliqui in alijs Religiosis domibus eiusdem Ordinis ad agendum ibi penitentiam, talibus viua necessaria ministrètur. Si verò huiusmodi fugitiuos, vel eiectos in-

obedientes inuenerint, eos excommunicent, & tandiu faciant ab Ecclesiarum Prælati excommunicatos publicè nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur. Hæc ibi. Est igitur dubiæ quæstionis, An Præpositi Religionum fugitiuos, & eiectos, quotannis perquirere debeant, & eos ad reditum compellere? Respondet Nauarrus *Comment. citato, num. 36.* quod pertinet ad fugitiuos, hoc eos prestare debere, talesque ab eis etiam reluctantes, & inuitos ad regressum esse compellendos: Quod verò attinet ad eiectos, esse reducendos, & recipiendos, si reuerti voluerint, secus verò si reculerint. Id probat, quia Panormitanus, Cardinalis, Butrius, & Antonius, quos ille citat, non eodem modo loquuntur de Fugitiuis, & Eiectis: aiunt enim, fugitiuos quotannis perquirèdos, ac etiam, vel inuitos esse reuocandos; Eiectos verò nõ nisi redire volentes.

Obijcies ex capite citato, generatim ibi Pontificem statuere, ut Fugitiui, vel Eiecti perquirantur, & reducantur. Respondet Nauarrus, caput illud intelligi de Eiectis iniuste, hoc est, iuris ordine prætermisso, & neglecto. Deinde obijcies, eos esse ob crimina expulsos, ergo sunt reuocandi; siquidem eius tantum rei gratia è Monasterio eijciuntur, ut sic prædicti respiciant, ac vitam instituant meliorem. Sed ad hoc respondet Nauarrus, eos nequaquam esse eiectos ad tempus, ut corrigantur, & emendentur, sed in perpetuum, ut poena debita puniatur: hoc enim, ait, eos ob culpam suam meruisse. Alij respondent totum prædictum Gregorij Noni decretum, cum sit iuris humani, vlti, & consuetudine abrogatum fuisse: neque enim Religionum Præfecti Religiosos eiectos quotannis perquirunt, neque reducunt, neque repetunt. Item multi ob certa quædam vitia, & delicta sententia iudicum ad id destinatum eijciuntur in perpetuum, nec amplius reducuntur. Deinde vsu introductum est in Italia, Hispania, & Gallia, ut Religiosi ob crimina, quibus capitalis poena est irrogata, ad trirèmes condemnentur.

Secundo quæritur, An si per iustam sententiam eiecti reuerti voluerint, debeat eos Monasterium recipere? Rationem dubitandi excitat id, quod in Regula S. Benedicti habetur: Monachum tertio fugientem, & redeuntem non esse amplius recipiendum. Humbertus, quem sequitur Turrecremata, respondet in hunc modum: Si extra Monasterium eiecti alios sue mala viua exemplo offendat, recipi debent, si intra Monasterium accommodatus sit carcer, in quem conijci possunt. Si verò extra Monasterium neminem offendunt, nulla obligatione Religiosi tenentur eos admittere, cùm primam correcti, & emendati redierint: tandem illi tamen admitti debent, si in viua emendatione persuerint. Sic ille. S. Bonauentura videtur insinuare Religiosos nullo iure compelli ad eos recipiendos: ipsi tamen eiecti, inquit, debent ad aliam Religionem se recipere, si commodè possunt: nam licet ingressum in aliam non uoluerint; ita tamen certam vnã professi fuerint, ut se Religionem generatim obstrinxerint. Cum enim ad secularem vitam redire nequeant, nec item possint ad laxiorem Religionem transire, culpa sua melioris conditionis effecti non sunt, ut extra omnem Religionem viuere libere queant. Sic Bonauentura. Sed ut ante iam dixi, nullo iure compellitur, qui est per sententiam iustam eiectus ad aliam religionem transire, nec tribus votis solutus est, quamuis in sæculo commoretur.







suæ Religionis habitum temerè dimittunt, vt periculosa Religioſis euagadi occasio ſubtrahatur: ergo ſiue habitu indutus, ſiue eo exut<sup>us</sup>, Monachus à Religione deſecerit, vt liberè euagetur, in excommunicationem incurrit: præſertim cum in cap. Conſultationi, de Apoſtatis, ſtatutum ſit, Apoſtatam Religionis deſertorem, ſi ſacris Ordinibus initiatur irregularitatem contrahere.

Septimò quæritur, An qui contra iura, hoc eſt, facultate non petita ad Religionem arctiorem, vel laxiorem ſe conſert, in Apoſtatæ poenas incurrat? Reſpondeo, minime. Sic Gloſſa communi conſenſu recepta: nam hic peccat quidem, quoniam tranſeundo ad aliam Religionem iura non ſeruat, & eos Religioſos, quos dimittit, offendit, ac turbat: at verò apoſtata non eſt, eo quòd non ſimpliciter à Religioſæ vitæ, ſed à certæ Religionis inſtituto recedit. Vnde poteſt quidem in altis iuris poenas incidere, in apoſtatæ autem poenas non item.

Octauò quæritur, In quam iuris poenam labatur, qui ſuæ Religionis temerè habitum deponit. De hac quæſtione Sylueſter excommunicatione. 9. in excommunicatione. 2. 4. Angel. excommunicatione. 6. caſu. 27. Roſell. excommunicatione. 1. excommuni. 16. Anton. par. 3. tit. 2. 4. cap. 53. Caiet. in ſum. c. 61. Nauar. cap. 27. nu. 131. Tabien. excommunicatione. 5. caſu. 23. Reſpondeo, haud dubiè in excommunicationem ipſo factò, cap. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in 6. & quia in eo cap. dicitur: *Qui habitum temerè dimittit, ſit, vt in eam non incidat ſi quis iuſta ex cauſa dimittat, puta, gratia veſtem lauadi, vel mundandi, vel cauſa morbi, vel vt ait Gloſſa ab alijs recepta, metu mortis, vel periculi, aut mali, alioqui grauioris, captiuitatis ſcilicet, ſeruitutis, carceris, ignominie, dedecoris, vt ſi Religioſus per loca Turcarum, Saracenorum, Hæreticorum, vel aliorum Chriſtiani, aut Religioſi nominis hoſtium tranſiret.*

Nonò quæritur, An qui illicitè dimittit habitum, eo ipſo excommunicationem incurrat? Quidam affirmant; ita enim cenſet Roſella excommunicatione. 1. in excommuni. 16. vbi ait, oppoſitum eſſe periculolum, eo quòd idem ſit temerè habitum dimittere, quòd illicitè: & quia alioqui iura præcipiunt, vt Monachus ſemper habitum geſtet ita vt ſine eo in lecto etiam non iaceat, & dormiat, ca. Vt idna. 20. q. 1. & Gloſſa in cap. Sauctimonialis. d. 23. Sed verius alij tradidère, nõ quamlibet illicitam habitus dimiſſionem dici in eo cap. Vt periculosa, temerariam, ac proinde excommunicationi nõ ſubijci. Vt ſi Religioſus intra Monafterij clauſtra quadam animi leuitate ad modicum tempus deponat habitum, vt ſonnum commodius capiat, vt ſaltet, vt currat, vt ludat, vel vt ſe in balneo, aut flumine lauet: ita ex Paludano, Antoninus loco citato. Idem quoque docent Ioan. Andr. in eo cap. Vt periculosa. & Sylu. & Nauar. locis ſupra citatis. **S**I R O G E S, an ſaltem excommunicatione contrahat, ſi dimittit ad breue tempus, vt cum ſcæmina rem turpem habeat, vel vt furto quicquam ſurripiat, aut aliud ſimile peccatum lethale committat. Quidam affirmant, vt Palud. & Antoninus, præſertim cum id extra Monafterium faciat; aiunt enim eum ſuæ Religionis habitum temerè ad hæc faciendâ dimittere. Alij negant, vt Sylueſter, excommuni. 9. caſu. 24. Nauar. in Manu. c. 27. nu. 131. quoniam quamuis dimittendo peccet,

non tamen dimittit, vt liberius vagetur. Valde probabile eſt, quòd Sylueſter, & Nauarrus ſenſerunt. Et mihi id placet: quoniam quamquam reuera deponit habitum, & grauius peccat, & dimittit, vt liberius peccet: non tamen dimittit, vt aſſumat alium, ſed deponit voluntate reſumedi.

Decimò quæritur, An quæ ſui Religionis habitum retinet quidem, ſed geſtat occultè, ita vt exterius nullo modo appareat, excommunicationi ſubdatur? Duæ ſunt opinioniones: Vna affirmat, quia occultè geſtare, idem valet, quòd dimittere, eo quòd inde libera vagandi occasio arripitur, & aliorum etiam offenſio gignitur. Sic Gloſſa in Clement. Quoniam, de vita, & honeſt. Cleric. Roſell. Sylueſt. Nauar. locis citatis. Altera verò negat, quia qui habitum occultat, nõ eo ipſo, habitum deponit. Abbas in cap. Deus qui, De vita, & honeſt. Cleric. nu. 4. Mihi prima opinio magis probatur: Si ita occultat, vt nihil prorsus appareat. Secus verò ſi ita celet, vt à domeſticis, vel familiaribus cerni queat.

Vndecimò quæritur, An qui ſuæ Religionis habitum depoſito, alterius Religionis amictum aſſumit, excommunicatione aſſiciatur? Lopus, Dominicus in c. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6. Angel. & Roſella, & Tabienſis locis ſupra citatis, negat, quia licet certæ Religionis habitum dimittat, non tamè abſolutè, & ſimpliciter Religionis. Item, quia vt paulò ante iam diximus, non eſt Apoſtata, qui ab vna Religione recedens ad aliam, quamuis peccando ſe conſert. Ergo nec temerè dimittit habitum certæ Religionis, qui alterius ſumit. Caietanus tamen, Sylueſter, Nauarrus locis ante citatis, affirmant, & probabilius, vt multis quidem videtur, quoniam in cap. Vt periculosa, planè dicitur: *Qui ſuæ Religionis habitum temerè dimittit.* Alia verò ratio eſt de Apoſtata: deſertor enim religionis nõ eſt, niſi qui abſolutè, & ſimpliciter deſicit à religione, nõ qui ab vna recedens ſe recipit ad aliam. Ceterum valde probabilis eſt prima ſententia, quoniam non dimittit ſuæ religionis habitum, vt liberè vagetur, & in cap. Vt periculosa. Hæc eſt ratio, & cauſa, ob quam excommunicatione fertur. Mihi verò magis probatur ſententia Caiet. Sylueſt. & Nauarri.

Duodecimò quæritur, An qui ſuæ Religionis habitu retento, ad aliam tranſit, cuius habitu ſuſcepto, ſuè tunc temporis, religionis veſtem deponit, excommunicationem incurrat? Reſpondeo cum Caietano loco citato, minime; quamuis tranſeundo peccet, quoniam ſuæ Religionis habitum non dimittit, donec alterius ſumat. Alterius autè Religionis Monachus eſſe factus, prioris habitum amplius geſtare non poteſt.

Decimotertio quæritur, An qui dimittit habitum, ſed ſuam perſonam occultat, ac celat, ſit excommunicationi ſubiectus? Quidam negant, etiam ſi id extra Monafterium faciat, & ad horam vnam, aut etiam duas, quoniam in cap. Vt periculosa, excommunicatione irrogari videtur his, qui dimittunt, vt liberius vagentur, qualis non eſt, qui dimittit quidem, ſed perſonam celat. Mihi tamen probabilius videtur, eum in excommunicationem labi, quoniam deponit habitum, & quamuis ſe occultet ac celet, ipſo tamen factò liberam habet euagandi facultatem.

Decimoquarto quæritur, An ſi quis ſuæ Religionis habitu dimiſſo, alterius ſumat, vt ad tem



us alteri Religioni obsequium præstet, videlicet, vt concionetur semel, vel vt disputet, vel doceat, excommunicatione afficiatur. Quidam negant, quoniam is iusta de causa id facit: ac proinde habitum non videtur temerè dimittere. Alijs verò probabilius oppositum apparet, eo quòd etiam temerè dimittat, qui solum id facit, vt alienis Religiosis inferuiat. Certè si id Charitatis lex requirat, ac postulet; nempe, vt alterius Religionis necessitatem subleuet, non est Ecclesiastica poenæ reus iudicandus: sicut etiam si habitum quis deponeret, vt alterum è mortis periculo liberaret, à latronum, & hostium infidijs eriperet, & id commodè, nisi habitu dimisso, præstare non posset. At verò si grauis necessitas, & causa non subfit, excommunicationem contrahit, qui dimittit habitum, vt alijs inferuiat.

Decimoquinto queritur, An Monachus, qui intra Monasterij, vel Cœnobij claustra temerè habitum dimittit in excommunicationem incidat? Angelus loco supra citato, negat, eo quòd putat hanc iuris poenam non contrahi, nisi Religiosus habitum extra Cœnobium dimittat: nam in cap. *Vt periculosa*, dicitur: *qui in scholis, vel alibi, satis esset, inquit Angelus, si diceretur, qui alicubi, vel quouis alio loco dimittit. Et quoniam in eo etiam capite, causa redditur, vt periculosa euagandi occasio Religiosis præcidatur. Sed verius est, quòd Syluester, Rosella, & Nauarrus locis prædictis, senserunt, eum etiam prædictæ iuris poenæ subijci; præsertim cum in Monasterio habitu exitus laicorum oculis patet, aut se illis obijcit.*

Decimosexto queritur, An Religiosus Apostata in Abbatem, aut Præpositum eligi iure queat, postquam ad meliorem vitæ frugem, & Religionem reuersus est à crimine, & poena iuris absolutus, & bonæ opinionis, ac famæ Archidiaconum quidam sequiri negat. Alijs verò oppositum probabilius videtur, eo quòd nullo iure impeditur, quo minus eligi possit.

### Caput XVIII.

*De his, quæ pertinent ad quoslibet Religiosos ex Concilio Tridentini decretis.*

**P**recepto Sancti Concilij Tridentini Sess. 25. de regularib. c. 22. constitutum est, vt omnes, & singuli Canones, qui de Regularibus præscribuntur, in omnibus Monasterijs, Cœnobijs, Collegijs, & Conuentibus, quorumcumque Monachorum, & Regularium, quamprimum executioni mandentur: ideo breui complectar quicquid in sacris eiusdem Concilij decretis, & Canonibus ad Monachos, Religiosos, & Moniales spectat.

Quod igitur ad Religiosos pertinet, in primis Sess. 4. in Decreto de vsu, & editione sacrarum librorum, sic habetur: *Non liceat Fratribus imprimere, seu imprimi facere libros de rebus sacris, sine approbatione Ordinarij, & licentia suorum Superiorum.*

Secundo, in Sess. 5. cap. 1. De reformatione in Conuentibus, in quibus studia literarum commodè vigere possint, sacra Scriptura lectio habeatur, quæ lectio à Capitulis generalibus, vel prouincialibus assignetur dignioribus lectoribus.

Tertio, in Sess. 5. De reformat. cap. 2. & Sess. 23.

c. 4. Regulares cuiuscunque Ordinis, sine licentia Superiorum Ordinis, & benedictione Ordinarij, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare incipere non possunt: in alijs autem Ecclesijs, vltra licentiam Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, & in illis contradicente Episcopo prædicare non presumant.

Quarto, in Sess. 5. De reformat. cap. 2. Si aliquis Prædicator (quod absit) errores, aut scandala disseminauerit in populo, etiam si in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicit: quòd si haereses prædicauerit, contra eum secundum iuris dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etiam si Prædicator ipse generaliter, vel specialiter exemptum se esse prætendat.

Quinto, in Sess. 6. De reformat. ca. 3. & Sess. vlt. De regular. c. 14. Regulares extra Monasterium degentes, etiam sui Ordinis priuilegij præsertim, ab Ordinarij loci, si deliquerint, puniri possunt: Et qui intra claustra Monasterij degunt, etiam Episcopo non subiecti, & extra ea notorie deliquerint, vt populo scandalo sint, intra terminum ab Episcopo præfigendum, à suo Superiore seuerè puniuntur, & de poenitione, Episcopum certiores faciat, sin minus à suo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.

Sexto, in Sess. 7. De reformat. cap. 8. & Sess. 21. De reformat. cap. 8. Locorum Ordinarij, Ecclesias quas, cumque quomodolibet exemptas auctoritate Apostolica singulis annis visitare possint, non autem ipsa Monasteria, quòd autmet ad correctionem Fratrum. Sess. 25. De regular. c. 20. Animaduertendum est, nomine Ordinariorum intelligi etiam inferiores Episcopos Ecclesiarum secularium, vel regularium Præfectos, cuiusmodi sunt Abbates, Præpositi, Priores, & alij Religionum Præfecti. Cardin. in Clemen. 1. q. 8. De suppl. neglig. Prælati. Nauarr. consil. 5. de sponsalib. Glossa in cap. Ordinarij, De officio ordin. in verbo, Locorum, in sexto. & cap. *Quamquam*, De vsu, in 6. in verbo, Locorum. Vnde in hoc loco non solum intelliguntur Episcopi, sed etiam Religionum Præfecti, qui suas Ecclesias visitant, vt est in more positum. Nam, vt ait Nauarr. loco citato, plurimum refert, an constitutio, siue canon concedat aliquam facultatem Diocesanis, an Ordinarijs locorum: nam si concedat Diocesanis, eo ipso, solis Episcopis concedere videtur: si Ordinarijs locorum, nõ solum Episcopis, sed etiam inferioribus Ecclesiarum Præfectis iurisdictionem habentibus concedit.

Septimo, in Sess. 14. De reformat. c. 11. & sess. vlt. De Regularib. cap. 19. Regulares translati de vno Ordine ad alium, sub obedientia sui Superioris perpetuo manent, & nullus cuiuscunque Ordinis Prælati, vigore cuiusvis facultatis aliquem ad habitum, et professionem admittere possit, nisi vt in Ordine ipso, ad quem transferuntur sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuo maneat, & saltem in translatione, etiam si Canonice Regularium fuerit, ad Beneficia secularia, etiam curata omnino incapax existat. Et nemo itidem Regularis cuiuscunque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem: nec item detur licentia cuiquam Regulari occultè deserendi habitum suæ Religionis.

Octaudo, in Sess. 22. decreto de obliuandis, & vitandis in celebratione Missæ. Cuius generis mercedum conditiones, passus, & quicquid pro Missæ nouis celebrandis datur, atque importuna, & illiberata eorum exactiones, porum quam possulationes, atque huiusmodi, quæ à Simoniacis habent, vel certè turpi quæsi non longe abijciunt, omnino prohibeantur.

Nono, in eadem Sess. & Decreto. Episcopi in suis diocesis interdicat, ne cui vago, & ignoto sacerdoti Missæ



fas celebrare liceat. Sic Conciliū: ex quo decreto fit, vt cauti esse debeant Religiosi, ne sine literis dimissorijs a suo Superiore acceptis, vel Clerici secularis, ne sine literis commendatitijs ab Episcopo impetratis se aliō transferant.

**Decimò**, In eadem Sess. & Decreto: Non patiatur Episcopus priuati in domibus, atq; omnino extra Ecclesiam, & ad diuinū tantum cultū dedicata oratoria ab eisde Ordinaris designanda, & visitada, sanctū sacrificium Missæ à secularibus, aut regularibus quibuscumq; peragi: ac nisi prius qui interfuit decenter composito corporis habitu declarauerint, se mente etiā, ac deuoto cordis affectu, nō solum corpore, adesse.

**Vndecimò**, Ibidem: Cauentur ne Sacerdotes, alij, quam debitis horis celebrent, nec ritus alios, & alias ceremonias, vel preces in Missarum celebratione adhibeant præter eas, quæ ab Ecclesia approbatae, ac frequentes, & laudabiles vsu receptæ sunt.

**Duodecimò**, Ibidem: Quædam Missarum, & Candelarum certum numerum, qui magis à supersticioso cultu, quam à vera Religione inuentus est, Episcopi omnino ab Ecclesia remoueat.

**Decimotertio**, In Sess. 22. cap. 4. De reformat. Quicunque in Cathedrali, vel Collegiali, Seculari, vel Regulari Ecclesia diuini mactatus officij, in Subdiaconatus Ordine saltem constitutus non sit, vocē in huiusmodi Ecclesijs in Capitulo non habeat; etiamsi hoc sibi ab alijs liberè fuerit concessum. Sed sciendum est statutis aliquorum Ordinum esse constitutum, vt etiam, qui sacris Ordinibus initiati non sunt, habeant ius suffragij in Coniitijs, siue Cōuentibus, vt in Ordine Minimorum decretum esse fertur. Concilium itaque Tridentinum non prohibet, quo minus suffragij ius habeant in Capitulo Religiosi nondum in sacris Ordinibus constituti: quoniam Concilij decreto, Religiosorum Cœnobias, & Monasteria non cōprehenduntur. Ita declarasse Cardinales Congregationis destinati ad interpretandas Concilij dubitationes perhibentur.

**Decimoquarto**, In Sess. 14. cap. 2. De reformat. Nullus absque sui proprij Prælati expresso consensu, aut literis dimissorijs ad aliquos sacros, aut minores Ordines, vel priuam Consuram promoveatur: alias ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælati vsus fuerit, ipso iure est suspensus.

**Decimoquinto**, In Sess. 14. cap. 10. De reformat. Abbatibus, & alijs quibuscumque quantumuis exemptis non liceat in posterum intra fines alicuius diocesis consistere, etiamsi nullius diocesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, consuram, aut minores Ordines conferre.

**Decimosexto**, In Sess. 23. cap. 11. Minores Ordines, qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur. Hi verò non nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas, aut vtilitas Ecclesiæ iudicio Episcopi aliud exposcat.

**Decimoseptimo**, In eadem Sess. cap. 12. Nullus etiam Regularis ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum etatis suæ annum promoveatur: Regulares quoque nec in minori etate ordinantur, priuilegijs quibuscumque, quo ad hoc exclusis.

**Decimo octauo**, In eadem Sess. cap. 13. & 14. Promoti ad Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorum gradum, nisi aliud Episcopo vi-

deatur, ascendere non permittantur. Sciendum est, Cardinales Cōgregationis interpretes Concilij Tridentini declarasse: Si in aliquo conuentu sit necessitas ministrorum, quæ Patrum consilio iudicetur idonea causa ad hoc, vt aliter fiat, eam ad ordinaturum Episcopum esse referendam, cuius erit iudicare, sit nec ne idonea, & iusta causa.

**Decimonono**, In Sess. 23. cap. 12. Sine diligenti Episcopi examine Regulares non ordinentur, priuilegijs quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.

**Vigesimo**, In eadem Sess. cap. 13. Duo sacri Ordines eodem die etiam Regularibus non conferantur, priuilegijs, atque indultis quibuscumque concessis non obstantibus.

**Vigesimoprimum**, In eadem Sess. & cap. Subdiaconi, & Diaconi sciunt maxime decere, si saltem omnibus Dominicis, & solemnibus, cum altari ministrauerint, sacram communionem per ceperint.

**Vigesimosecundo**, In eadem Sess. ca. 15. Sine probatione Episcopi nullus etiā Regularis possit confessiones secularium etiam Sacerdotum audire.

**Vigesimotertio**, In eadem Sess. cap. 17. Sacri aliarum ministeria non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur. Sciendum est, hoc ideo esse constitutum, quia in quibusdam secularium Ecclesijs, & in aliquibus Religiosorum Conuentibus, sacris vestibus induti solemniter epistolam cātare per mittebantur, qui nondū erant Subdiaconi creati. Vnde post Concilium Tridentinum, aliqui Ordines constituisse perhibentur, vt in Conuentibus, in quibus Religiosorum numerus sufficit ad sacri altaris ministeria, etiam minima, ab Ordinatis ministris, quoad fieri possit, fiant, & vt nullus deinceps solemniter ita tanquam Subdiaconus epistolam canere permittatur, qui ad eum Ordinem nondum ascenderit.

**Vigesimoquarto**, In Sess. 24. De reformat. cap. 2. Synodi Diocæsanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis generalibus subdantur, accedere teneantur. Ratione tamen parochialium, aut aliarum secularium Ecclesiarum, etiam annexarum debeant hi, qui illarum curam gerunt, quicunque illi sint, Synodo interesse.

**Vigesimoquinto**, In eadem Sess. De reformat. cap. 18. Examinatores eligendorum etiam ad Beneficia, possint esse etiam Regulares ex Ordine Mendicantium, inuentiq; ad sancta Dei Euangelia, fideliter se munus executuros. Et caueant, ne quicquam occasione huius examinis, nec ante, nec post accipiant, alioqui Simonie vitium incurrant. Et de his omnibus in Synodo Proninciali, si opus fuerit, rationem reddere teneantur.

**Vigesimosexto**, In Sess. vlt. De Regularibus. cap. 1. Omnes Regulares, tam viri, quam mulieres, ad Regulæ, quæ professæ sunt, præscriptam vitam instituant, & componant: & quæ ad communem vitam, victum, & vestitum seruanda pertineant, fideliter obseruent: Omnisq; cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis Generalibus, quam in eorum visitationibus, quas suis temporibus facere non præmittant, vt ab illis non recedatur.

**Vigesimo septimo**, In eadem Sess. De Regularibus cap. 2. Nemini Regularium tam virorum, quam mulierum, liceat bona mobilia, vel immobilia cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus, possidere, vel tenere, sed statim Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur.

**Vigesimo octauo**, In eadem Sess. & cap. Non liceat



Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsufructum, vel vsu, administrationem, vel commendam. Mobilium vero vsu ita permittant, vt eorum suppellex statui paupertatis conueniat, nihilque superflui in ea sit. Nihil etiam quod sit necessarium eis, denegetur. Quod si quis aliter quicquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua voce, & passiuu prinitus sit: atque etiam iuxta sue Regule, & Ordinis constitutiones puniatur.

**Vigefimononò, In eadem Sess. De regularibus cap. 3.** In Monasterijs, & Domibus, tam virorum, quam mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus proprijs Monasteriorum, vel ex conseruetis elemosynis commodè possit sustentari.

**Trigefimò, Ibidem, De caetero similia loca non eligantur; sine Episcopi, in cuius diocesi construenda sunt, licentia prius obtenta.**

**Trigefimoprímò, In eadem Sess. De Regularib. cap. 4.** Nullus Regularis, sine sui Superioris licentia praedicationis, lectionis, aut cuiusvis pij operis praetextu subiciat se obsequio alicuius Praelati, Principis, Vniuersitatis, & Communitatis, quod sit contra fecerit tanquam inobediens arbitrio Superioris puniatur.

**Trigefimosecundò, Ibidem: Non liceat Regularibus à suis Communitatibus recedere, etiam praetextu, ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. aliàs, qui sine praedicto mandato in scriptis obtento, reuertitur fuerit, ab Ordinarijs locorum puniatur, vt sui instituti desertor.**

**Trigefimotertiò, Ibidem: Qui studiorum causa, ad Vniuersitates mittuntur, in Communitatibus tantum habitent: alioquin ab Ordinarijs contra eos procedatur.**

**Trigefimoquartò, in Sess. ult. De Regular. cap. 5.** Episcopi in omnibus Monasterijs sibi subiectis ordinariam, in alijs vero Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restituant: & vbi iniuolata est conseruari maxime procurant.

**Trigefimoquintò, Ibidem: Nemini Sanctimonialium liceat post professionem exire à Monasterio, etiam ad breue tempus quocumque praetextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda.**

**Trigefimosexto, Ibidem: Ingredi intra septa Monasterij nemini liceat, cuiuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel aetatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pena ipso facto, incurrèda.**

**Trigefimoseptimò, Ibidem: Monasteria Sanctimonialium extra mœnia vrbs, vel oppidi, curent Episcopi, & alij Superiores, si ita videbitur expedire, vt ad noua, vel antiqua Monasteria intra vrbes reducantur.**

**Trigefimooctauò, eadem Sess. De Regular. cap. 6.** Electio Superiorum quorumcumque, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum fiat per vota secreta: ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.

**Trigefimononò, Ibidem: In posterum non liceat, Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque titulares ad effectum electionis faciendae constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere. Sciendum tamen est Cardinales, Concilij Tridentini interpretes, de classe, Concilium non prohibere, quo minus locum habeat instituta, & decreta Religionis, in quibus datur facultas Superioribus absentibus, & legitime impeditis, vt mittant ad Generale Conuentum, alium Religiosum, qui tanquam eorum procurator, suo loco, & nomine in electione, suffragium ferat, vt in Constitutionibus Minimorum habetur.**

**Quadragesimò, Eadem Sessio. cap. 7.** Abbatissa, & Priorissa, & quocumque alio nomine Praefecta, vel Praeposita appellatur, eligatur non minor annis quadraginta, & qua octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in Monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommo- dum Superiori, qui electioni praestitit, videatur, ex his, quae in eodem Monasterio annuum trigessimum exceperint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligatur. Ibidem; Duobus Monasterijs nulla praeficiatur.

**Quadragesimoprímò, Ibidem: Is, qui electioni praestitit, Episcopi, sine alius Superior, clausura Monasterij non ingrediaur, sed ante Cancellorum fenestellam vota singulorum audiat, & excipiat.**

**Quadragesimosecundò, Eadem Sess. De Regularib. c. 9.** Monasteria Sanctimonialium, Sanctae Sedis Apostolicae immediate subiecta, ab Episcopi gubernentur: qua vero à deputatis in Capitulis Geyer alibus, vel ab alijs Regularibus reguntur, sub eorum cura, & custodia retingantur.

**Quadragesimotertiò, Eadem Sess. De Regular. cap. 10.** Attendant diligenter Episcopi, & alij Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, vt in constitutionibus earum admoventur Sanctimonialia, vt saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant.

**Quadragesimoquartò, Ibidem: Praeter ordinariu Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, & alijs Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.**

**Quadragesimoquintò, Ibidem: Sanctissimū Christi corpus intra Chorū, aut sepra Monasterij Monialium, & non in publica Ecclesia, conseruetur, non obstant quocumque indulto, aut privilegio.**

**Quadragesimosexto, Eadem Sess. De Regulari. ca. 11.** In Monasterijs seu Domibus virorum, seu mulierum, quibus immixta cura animarum personarum secularium, praeter eas, quae sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia, personarum tam Regulares, quam seculares huiusmodi curam exercentes, subimmediate in his, quae ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius diocesi sunt sita. Excipit verò Concilium ibi quaedam Monasteria.

**Quadragesimoseptimò, Eadem Sess. De Regular. c. 12.** Censurae, & interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata sed etiā ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur atque seruentur.

**Quadragesimooctauò, Ibidem: Dies festi, quos in diocesi sua Episcopus seruandos praeciperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus seruentur.**

**Quadragesimononò, Eadem Sess. De Regular. c. 13.** Controversias omnes de procedentis, qua per sepe cum scandalo oriuntur, inter Ecclesiasticas personas, tam seculares, quam Regulares, in processibus publicis, & in alijs similibus, Episcopus amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque, componat.

**Quinquagesimò, Ibidem: Exempli omnes tam Clerici seculares, quam Regulares, etiam Monachi ad publicas processiones vocari accedere compelluntur; ijs tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt.**

**Quinquagesimoprímò, Eadem Sess. De Regularib. ca. 15.** In quacumque Religione, tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante sextum decimum annum expletum: nec qui minori tempore, quam per annum post susceptu habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur: alio-



tur: aliqui professio nullam obligationem inducat, ad quocunque effectum.

Quinquagesimo secundo, Ibidem: cap. 16. Nulla renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunque, causa pie, valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue Episcopi Vicarij fiat intra duos menses proximos, ante professionem: ac non aliam intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione.

Quinquagesimo tertio, Ibidem: Ante professionem nihil recipiatur de bonis Nouitij, etiam sponte oblatum à parentibus, vel propinquis, vel curatoribus, excepto victu, & vestitu Nouitij illius temporis, quo est in Probatione, sub pena anathematis danibus, & recipientibus:

Quinquagesimo quarto, Ibidem: Finito tempore Nouitiatu, Superiores, Nouitios, quos habiles inuenerint ad profectendum, admittant, aut eos à Monasterio eiciant: & ut abeuntibus ante professionem, omnia restituantur, quæ sua erant, Episcopus per cõsuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat. Notandum est, Cardinales Concilij Tridentini interpretes declarasse, hoc locum tantum habere in ijs Nouitijs, quos Superiores tempore Probationi elapso, habiles repperint. Nã in ijs, quos non inuenerint habiles, si ipem tamen probabilẽ dederint, habiles eos infra sex menses futuros, posse Superiores tempus differre.

Quinquagesimo quinto, Eadem Sessione, De Regularibus, cap. 17. Puella, quæ habitum Regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, non ante eum suscipiat.

Quinquagesimo sexto, Ibidem: Nec postea ipsa, vel alia professio emittat, priusquam explorauerit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorũ sumptibus ab eis deputatus, Virginitatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat.

Quinquagesimo septimo, Ibidem: Ne professionis tempus Episcopus ignoret, teneatur Presbiter Monasterij eum ante mensẽ certiorẽ facere, aliam quandiu Episcopo videbitur ab officio suspensa sit.

Quinquagesimo octauo, Eadem Sess. De Regularibus, cap. 18. Eos, qui cogunt mulieres ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad emittendam professionem, & qui Sanctam Virginitatem, vel aliarum uoluntatem vel accipiendi vel voti emittendi, quocunque modo sine iusta causa impederit, sancta Synodus anathemati subijcit.

Quinquagesimo nono, Sess. vltima, De Regularibus, cap. 19. Quicunque Regularis præterit se per vim, & metum ingressum esse in Religionem, aut ante etatem debitam professionem fuisse, aut quid simile, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis: & tunc non aliter, nisi causas, quas præterit dederit coram Superiori suo, & Ordinario. Quod si ante sponte habitum dimiserit, nullatenus ad allegandum quocunque causam admittatur; & tanquam apostata puniatur.

Sexagesimo, Eadem Sess. De Reformat. cap. 3. Præmissis excommunicationis gladius, neruus sit Ecclesiasticæ disciplinae; obriat tamen magna que circumspessione adhibita exercendus est, cum experientia doceat, eam si temerè, aut leuibus ex causis, & rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari; & perniciem potius parare, quàm salutem.

Sexagesimo primo, Eadem Sess. De Reformat. ca. 4. In Ecclesijs, ubi magnus Missarum numerus reperitur, possint Generales Ordinum in suis Capitulis Generalibus statuere circa hoc, quicquid magis expedire videbitur. Scindum est, Cardinales Congregationis declarasse

hanc facultatem concessam Episcopis, & Generalibus Ordinum Præfectis, locum habere tantum in Missis ante Concilium Tridentinum promissis.

Sexagesimo secundo, Eadem Sess. De Reformat. cap. 11. Locationes rerum Ecclesiasticarum, si anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in præiudicium successorum validæ intelligantur, quocunque indulto, aut priuilegio non obstante.

Sexagesimo tertio, Eadem Sess. De Reformat. cap. 13. Quibuscumque in locis iam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solua esse persoluta, ac postea fuerit ex quocunque priuilegio Monasterijs concessa, posthac integro iure, & eadem de portione, qua ante solebat, eisdem Ecclesiæ persoluantur, non obstantibus quibuscumque priuilegijs, etiam Mari Magni nuncupatis.

Sexagesimo quarto, Eadem Sess. De Regularibus, ca. 22. Si qui Regulares, iam viri, quàm mulieres sunt, qui sub arctiori regula, vel statutu viuunt, excepta facultate habendi bona stabilia in communi, eos ab eorum instituto, & obseruantia, sancta Synodus amouere non intendit. Ex quibus verbis colligitur, Minimos, Cappucinos, Carthusienses, & quoslibet alios Religiosos, qui ratione suæ Regulae, Instituti, & Constitutionum arctiori vitæ genere obstringuntur, id seruare debere.

Sexagesimo quinto, Ibidem sancta Synodus desiderat, ut omnia, & singula supradicta, quamprimum executioni demandentur: & præcipit omnibus Episcopis, in Monasterijs sibi subiectis, & in omnibus alijs, ipsis in Superioribus decretis specialiter commissis, atque omnibus Abbatibus, & Generalibus, & alijs Superioribus Ordinum supradictorum, ut statim prædicta exequantur: & si quid executioni mandatum non sit, Episcoporum negligentiam Concilia Prouincialia suppleant, & coercerent. Regularium verò, Capitula Prouincialia, & Generalia, & in defectum Capitulorum Generalium, Concilia Prouincialia per deputationem aliquorum eiusdem Ordinis prouideant.

## Caput XIX.

### De Monachorum Institutis.

**H**actenus de Religiosorum Instituto generaliter egimus: nunc de his, quæ sunt aliquorum Religionum propria, tractandum nobis est. Ac primo quidem loco, de ijs, quæ ad Monasticos ordines pertinent; mox de Canonicis Regularibus; deinde de Mendicantibus; Postremò de Militaribus Ordinibus differemus.

Primo queritur, Quinam propriè Monachi in iure Canonico accipi debeant? Respondeo, eos esse accipiendos, qui tribus votis adstricti, bona stabilia, non priuatim, sed communiter possidēt, & in vitæ solitariae studium, & vitam incumbūt. Quibus tria, quatuorue attribuit ius ipsum Canonicum, Quietem, & Silentium, Orationem, Contemplationem, imò etiam laborem manuum, cap. De præsentium, 16. quæstion. 1. Monachus autem græcè idem est, qui latine solitarius: sic enim olim græca voce Monachi dicebantur homines, à cæterorum, consortio seuncti, & remoti, qui professi quietem, tacitam, ac durissimam vitam in montibus, altibus, & speluncis degebāt, eamq;



seruabant certis legibus, & institutis. Animaduertendum autē est, Monachi appellatione, aliquando omnem Religiosum significari, cuiuscunq; ordinis sit, vt annotauit Abbas in capit. ex parte, de postulādo: aliquando verò eum solummodo, qui solitariam agit vitam. Ita vt Monachi (vt paulò ante notauit) propriè nominentur ij, qui res stabiles in communi possident, silentio, quieti ac Cōtemplationi dediti, ac seorsum ab alijs hominibus viuentes. Religiosi verò, siue Regulares ceteri, ij sunt, qui Religiosam vitam solemnī more, ac ritu profitentur, quales nimirum sunt Canonici Regulares, item Mendicantes, & his similes. Nos verò in præsentiā Monachos accipimus in propria significatione, vt à cæteris Religiosis omnibus distinctos.

Secundò quæritur, Quot fuerint olim genera Monachorum? *Isidorus lib. Etymo. 7. ca. 13. & lib. 2. de offic. Ecclē. cap. De Monachis*, tria eorum genera constituit; Eremitarum nempe, Anachoretarum, & Cœnobarum. At enim, si Græca nomina consideremus, eosdem prorsus Eremitas esse, atque Anachoretas, comperimus: vnde *Isidorus* tria genera Monachorum nomine potius, quam re ipsa, & vitæ instituto distinguit. Et propterea *Cassian. Collat. 18. c. 4.* duo tantum genera honorum Monachorum videlicet Cœnobarum, & Anachoretarum discernit. Eremita vocatur, qui in desertis, & solitudinibus habitans solitariè viuit; Anachoreta verò, qui in solitudinem aliumue desertum locum disinctum, ac remotum ab hominibus, viuendi causa, secedit. Quare duo tantum Monachorum genera constituenda sunt, nempe Eremitarum, qui & ijdem propemodum sunt, qui Anachoretæ, & Cœnobarum. Eremitæ igitur sunt, vt diximus, qui solitarij viuunt in montibus, agris, alijsue locis desertis: Cœnobaræ verò, qui vnum in locum seu conuentum aggregati, & coniuncti communiter viuunt, à communi quam profitentur, vita, sic appellati. Monachi vocabulum licet prima sui notione, solitarij designent, proindeque idem sit Monachus, qui Eremita vel Anachoreta; vsu tamen, & consuetudine latius vsurpari cœpit, ita vt sit commune Eremitarum atque Cœnobarum. *Cassianus* tamen *Collat. 18. capite quarto*, & *Hieronym. in Epistol. ad Eustochium. de custodia Virginitatis*, tertium Monachorum genus recensent. Sed illud reprobum appellant, eo quod genus esset quoddam Monachorum, communiter quidem viuentium, sed proprias facultates retinentium: item, & aliorum, qui cum ad tempus vitam cum alijs communem egressent, in solitudinem postea secedebant, vt ibi liberius suo arbitratu viuerent, nullius potestati subiecti.

Tertiò quæritur, An vetus Monachorum vitam, & institutum, inuetum aliquid, & ab humano genere alienum, & abhorrens habuisse videatur? Hæretici nostræ tempestatis, (vt cætera solent alendē pietatis sanctitatisque studia damnare) totam eiusmodi Monachorum vitam, tanquam ab humana societate, & consortio alienam, planeque abhorrentem, improbant atque condemnant: quippe hominum natura, inquit, est ad societatem facta, & *Aristoteles*, ac ceteri Philosophorum, eos vituperant, & reprehendunt, qui

ab hominum congressu, & consuetudine abhorrent, ac fugiunt. At longè secus veteres Patres, & sacri scriptores, de ijs Monachis, & senserunt, & scripserunt: eos enim semper laudarunt, & *Iustinianus Imperator* vitam Monasticam, vt rem sacram, ac diuinam commendauit. Nec est quod Hæretici obijciant, Monachos sibi ipsis tantum prodesse, non alijs. Iuuant enim illi in primis atque tuentur vniuersum genus hominum precibus suis apud Deum, vitæ exemplo, moribus, doctrina, labore, industria. Immeritò item eos, tanquam otio, ac desidie deditos, accusant; cum multa vitia atque salutaria hominum generi, in commune conferant. Quòd si forte querantur, Monachum quendam, vt ex historijs didicimus per triginta annos neque locutum cum vlllo, neque à quoquam conspectum omnino fuisse: quæ res certè diuindano tantum iudicio ponderatur, videtur ab hominis natura prorsus abhorreere? Respondebo, hæc rara admodum fuisse: quæ res certè admiranda potius, quam imitanda. Attamen quis inficiari audeat, è Monasterijs, & Cœnobijs, velut ex sacris quibusdam Seminarijs, & Collegijs electos, & assumptos fuisse quamplurimos insigni, & sanctitate, & doctrina viros, ad Ecclesiastica munera obeunda? qui deinde suis successoribus atque adeo Ecclesiæ vniuersæ multa, & præclara Christianæ vitæ documenta reliquerunt.

Quartò quæritur, Quandonam Monachorum vita atque institutum in Ecclesia cœperit? Hæretici contendunt quarto post Christum natum seculo cœpisse, hoc est; tredecim circiter ab eo tempore annis exactis. Negant enim illi contra communem Scriptorum sententiam receptam *Dionysij Areopagitæ* libellum de Ecclesiastica hierarchia, quo manifestè cōstantur, vbi Monachorum meminit, quos fuisse testatur Apostolorum temporibus. Quicquid sit de eius libri auctore, fueritne ille Pauli Apostoli discipulus, is nempe, cuius facit *Beat. Lucas* in Actibus Apostolicis mentionem, an alius quispiam, nunc non laboro, cum hæc res mei non sit instituti; negari tamen non potest eum perantiquum Scriptorem fuisse, ac longè ante Magni Constantini tempore floruisse. Nec item inficiari queunt *Dionysium* huius nominis primum, Romanum Pontificem ex Monacho fuisse creatum. Nec obscurum est id, quod *Tertullianus*, & *Cyprianus* Scriptores antiquissimi perspicuè tradiderunt, Virgines voto Castitatis Deo obligari, & ab Episcopis velari solitas. Quòd si fœminæ id temporis Deo votis adstrictæ dicebantur, quid mirum, viros quoque tunc fuisse votis obstrictos? Sunt etiam, qui contendunt Apostolorum temporibus Monachos, & Anachoretas fuisse, & putant id inde se aperto, & certo argumēto colligere, quod *Damasius* in vitis Pontificum narrat *Telesphorum* ex Anachoreta Romanum Pontificem electum. Hoc tamen dubium esse, & incertum quidam Catholicis dixerunt: nā *Platina*, & alij non ignobiles Scriptores *Damasium* interpretantur, *Telesphorum* ex patre nomine Anachoreta progenitū fuisse. Verum quicquid sit, hoc vnum certè ex historijs Ecclesiasticis constat, Constantini Magni tempore in Syria, & Aegypto ingentem Monachorum multitudinem vixisse: & deinde circa ea tempora Mon-

sticum



sticum institutum per Orientem propagatum, & auctum, ac deinde in Africa, Italia, Gallia, & alijs Occidentis partibus viguisse. Nam sub Augustino Monachi in Africa vixerunt: sub Martino Turonensi Episcopo, in Gallia: sub Simpliciano Mediolanensi Antistite, in Italia: sub alijs Episcopis in Armenia, Ponto, & Paphlagonia.

Quintò quæritur, Vtri fuerint antiquiores, Eremitæ ne leu Anachoretæ, an vero Cœnobitæ? Respondeo, cum primum exoriri Monachi incœperunt, ijque in Aegypto, congruentem nomini suo vitam, id est, solitariam agebant, & quamquam stans horis ferè in vnum locum conuenire consueuerant, simul tamen nõ commorabantur, sed domunculas, & cellas sparsum per montes, saltus, & speluncas extrucebant, in quibus habitabãt: vnde Monachi, & Eremitæ, & Anachoretæ merito dicebantur. Postea tamen vilum est vtilius, fructuosius, & decentius, in eisdem ædibus eos communiter habitare, & viuere, omnia habentes inter se communia, quam priuatim in desertis, & montibus delitescere: ac ita eiusmodi loca à communione vitæ, & societate, Cœnobita verius, ac congruentius, quam à solitudine Monasteria sunt appellata: Veruntamen hi veterem Monachorum appellationem retinere maluerunt, quòd ea vitæ ratio, & consuetudo non multum à solitudine abesset. Paulus igitur, Eremitarum, seu Anachoretarum primus auctor, ac veluti parens, & Magister, merito vocari conlucuit, Antonius autem, licet, & ipse aliquamdiu solitarius vixerit, multos tamen in vnum cœgit, communisq; vitæ rationem instituit, vt propterea Cœnobitarum institutor appelletur. Porro Cœnobitæ quaquam in commune viuabant, in montibus tamen, & desertis locis initio extruere Cœnobita cœperunt; postea vero in agris, & Ciuitatibus vicinis; ac tandem eos Magnus Basilus in medias Ciuitates, ac hominum frequentiam creditur induxisse, eique viuendi rationem, & formulam perpetuò seruandam vtiliter tradidisse.

Sextò quæritur, quæ causa, & occasio fuerit Monachorum instituti? Nostri temporis Hæretici affirmare non dubitant, eos partim calu, partim errore, & praua imitatione cœpisse, eo quòd Nicephorus *lib. 3. c. 39. & 40. histor. Ecclæs.* scribit quosdam tradidisse, primos Monachos, & Paulum ipsum primum Eremitam, Decij persecutionis fugiendæ causa in solitudine secessisse, & ibi vitam egisse. Alios verò aiunt hæretici Essenorum olim in Aegyptiacis solitudinibus, & antris degentium errorem, & insectiã consecratos, cõsimilem eis vitã, & habitationem tenuisse. Verum quicquid more suo, calumniantur Hæretici, primi certè apud Christianos Eremitæ imitati sunt exemplum Eliæ, Elisæi, & aliorum Prophetarum; Ioannis etiam Baptistæ, ac Christi Domini, qui in solitudine secessit, ac ibi quadragenarum ieiunij seruauit. Cassianus *collat. 1. s. c. 6.* sic ait de Anachoretis loquens, qui non vt quidam pusillanimitatis causa, nec impatientiæ morbo, sed desiderio sublimioris profectus, contemplationisque diuinæ solitudinis secreta sectati sunt; & deinde agens de Paulo Eremitarum duce subiungit, licet necessitatis obtentu dum tempore persequutionis affiniu suorum deuitat insidias Eremi penetrasse dicatur.

Septimò quæritur, an eadẽ vitæ ratio apud veteres illos Monachos fuerit, quæ nunc apud nostros? Contendunt Hæretici longè diuersam fuisse: nimirum illi non fuere, inquit, tribus votis, quibus nostri Monachi, adstricti, sed votis soluti, & liberi viuabant: si quis ab int̄cepto recederet, is nequaquam, vt voti violator habebatur, sed leuitatis, & incõstantiæ tantum arguebatur. Quicquid sit de ijs Eremitis, aut Anachoretis, siue Monachis, qui solitudines primi, & deserta incolere cœperunt, illud certè, nisi desipere volunt omnino Hæretici, inficiari nequeunt, Cœnobitas, qui cõmuniter habitabant, & viuabant, & si non quidem à primo ipsorum ortu, sub idem tamen ferme tempus tribus se votis Religionis, Castitatis nempe, Paupertatis, & Obedientiæ deuinxisse; vt apertè ex Magni Basilij Monasticis Constitutionibus liquet. Hinc postea Benedictus in Occidente successit, qui Monachorum Orientis, sub eiusdem Basilij Regula, vitæ rationem æmulatus, suos quoq; Monachos formulam viuendi à se præscriptam profiteri voluit, in qua eadem, quæ dixi vota, seruanda traduntur.

Octauò quæritur, An vlli fuerint Monachorũ gradus? Respondeo, fuisse. Quæres quina illi fuerint? Respondeo, alios fuisse Superiores, alios inferiores: nã sicut Clericis cuiusq; Ecclesiæ priuatæ præerat Episcopus, ita singulis Monasterijs vnus Monachus præsidebat, in cuius potestate erant alij decurij, & centurij præfecti. Porro is, qui multis Monachorum turmis veluti gregibus præerat, Archimandrita vocabatur. Dicitur autè Archimandrita, eo quòd multis Monachorũ ceteris veluti gregibus præsideat, cū Monachi per turmas, & classes diuiderentur. *L. Nos reddentes. C. De Hæret. Mardapa* enim Græcum nomen, speluncam, caulam, & stabulum, in quod greges ouium aduehebantur, significat. Quem verò Græci Archimandritam, & Cœnobiar cham vocabant, S. Benedictus in Regula Abbatem Syriacã potius voce, quam Græcã, ex Euangeliorum tamen codice desumpta appellare conlucuit. Hic intra sui Monasterij septa Præfectum quendam constituebat, cuius vicaria opera, & industria utebatur in his, quæ ad Conuentus gubernationem pertinebant, quæ propterea Benedictini Monachi, Priorem claustralẽ vocare cœperunt. Et quia plerumq; extra Monasterium minores aliqui Conuentus, & Sodalitia Monachorum erant eidem Abbati subiecta, alij quidam Præfecti, eo cum libera potestate, & auctoritate dimittebantur: quos idcirco Priores Cõuentuales appellabant. Hinc exortæ sunt Abbatia, & Prioratus: nam procedente tempore Abbates, & Priores, priuata mensa à communi separata vti cœperunt: quo fiebat, vt certi redditus priuatæ Abbatis mensæ assignarentur ex quibus viueret: qui deinde Abbas, annuos quoq; redditus, communi Monachorum mensæ tribuebat. Cum verò Monasteria paulatim Monachis destituerentur; Abbatia, & Prioratus commendari cœperunt Clericis: donec introductus est mos, vt Episcopis, & Cardinalib; in perpetuam administrationem committantur, hoc est, vt ea administrarent dum viuunt. Porro, qui in Regula S. Benedicti Abbates vocantur, in Regula S. Augustini dicuntur Priores, seu Præpositi.



Nonò quæritur, in quo differant Oblatus, siue Donatus, Conuersus, & Monachus? Hanc quæstionem tractat Glossa, & iuris Canonici interpretes Clemen. 1. De Decimis, & in cap. Ex eo, De elect. in sexto, & cap. Per exemptionem, De Priuil. in sexto, & cap. In presentia, De Probatio, & 17. quæst. 1. ca. Vt lex continentia. Summistæ verbo. Oblatus, Nauarr. Consilio 50. & Si. De Regularibus. Respondeo, post institutum à Sancto Benedicto Monachorum Ordinem, introducta esse in singula Monasteria tria hominum genera; ita, vt alij dicantur Oblati, alij Conuersi, alij Monachi. Oblatus est, inquit, Panormitanus, locis citatis, qui se, & sua omnia Monasterio obtulit habitu non mutato. Conuersus verò, qui se, & sua obtulit habitu Religionis suscepto, & Regulæ professione emissæ, est tamen admixtus, vt laicus, qui nunquam Ordinibus initiatur, nec est ad cantum in Choro additus, Monachus autem est, qui in sodalitate admittitur tanquam idoneus, & habilis ad Ordines suscipiendos, & tempore ad id constituto ad eos promouetur, ad Chorum, & carum destinatur. Et vt annotat Glossa, locis citatis, Oblati, & Conuersi magis sunt Monasterio adstricti, eo quòd etiam causa vitæ arctioris, & durioris ad alia Monasteria transferre se nequeant: sunt enim quasi serui Monasterij effecti. Conuersi item laici cum Monachis, qui sunt Ecclesiasticis ordinibus initiati, ius & facultatem legendi non habent, cap. Ex eo, De election. in 6. ad finem.

Decimò quæritur, An Monachorum nomine in iure Canonico veniant omnes Religiosi? Respondet Abbas in cap. Ex parte, de postulando. Constitutionem Pontificiam, siue Canonica aliquid de Religiosis statuente, licet de Monachis loquatur, ad omnes Religiosos trahi, nisi aliqua specialis ratio diuersitatis appareat. Vnde appellatione Monachi, omnis Religiosus accipitur, nisi lex alioqui distinguat. Nomine item Abbatibus, venire solet omnis Ordinarius Religiosorum Collegio Præfectus: Abbatissæ autem nomine, omnis femina Sanctimonialium domicilii præfecta. Appellatione Monasterij, omnis Religiosorum simul in commune habitantium Domus, siue Collegium, nisi quid discriminis manifestè constiterit.

Vndecimò quæritur, An Monachi olim essent Clericis inferiores? Respondeo, ex iure Canonico constare, Monachos, & cum primùm cœperunt, & deinde aliquo temporis spatio, fuisse Clericis minores, & ipsis subiectos. Etenim in cap. A subdiacono, dist. 11. §. 3. dicitur: Pontifici Presbyter, Presbytero Diacono, Diacono Subdiacono, Subdiacono Acolyto, Acolyto Exorcista, Exorcistæ Lector, Lectori Ostiarius, Ostiario Abbas, Abbati Monachus in omni loco præstet obsequium, siue in publico, siue in gremio Ecclesiæ. Hæc ibi: quæ ideo dicuntur, quia tunc temporis Monachi, etiam Abbates Monasteriorum Præfecti erant laici, & idcirco Clericis inferiores. Nulli in Monasterijs reperiebantur Sacerdotes, aut Clerici, sed tanquam cæteri ex populo laici, nullo discrimine ad communem omnium sacram ædem, Sacramentorum percipiendorum causa, se conferiebant: sed & sacerdotem accercebant interdum, qui apud ipsos rem diuinam faceret. Quare nihili mirum est, si tum Monachi, tum eorum Præfecti Ab-

bates Presbyteris, & Clericis inferiores erant. Vnde 16. quæstio. 1. cap. Monachus, ait S. Hieronymus: Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini patidus præsoleatur aduentum. Sic ille. Deinde, quamquam aliqui Sacerdotes creabantur, prohibebantur tamen extra Monasterium Clericorum munera obire, & exequi, eo quòd Monachus esset ex suæ vitæ instituto, quieti, silentio, & solitudini additus. Vnde 16. quæstio. 1. cap. Placuit, habetur: Monachum per omnia singulariter agere oportet. Quamobrem præcipimus, vt Monachi penitentiam nemini tribuant, nisi sibi iniunctam, vt iustum est: mortuum non sepeliant, nisi Monachus secum in Monasterio commorantem. Et cap. Interdicimus eadem causa, & quæstio. prohibentur Abbates, & Monachi publicas penitentias dare, infirmos visitare, & rationes facere, & Missas publicas canere. cap. Placuit, ibidem statuitur, vt nullus Monachorum de Monasterio exire nefandissimo ausu præsumat, neque penitentiam dare, neque filium de Baptismo accipere, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire, neq; ad Ecclesiam seculari transire, neque alijs quibuscumque negotijs sese implicare. Sit claustrum suo contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine Monasterio Monachus. Sedeat itaq; solitarius, & taceat: quia mundo mortuus est, Deo autem viuus. Item cap. Perueni 16. quæstio prima, reprehenduntur Monachi, & Abbates, qui in Paroecijs Episcoporum, ac Presbyterorum munera præstabant. cap. Alia causa est, ibidem, de seipso loquens Hieronymus: Alia, inquit, causa est Monachi, alia Clerici: Clerici oues pascunt, ego pastor. Illi de altari viuunt, mihi securus quasi ad radicem infructuosæ arboris ponitur. Si munus ad altare non defero, mihi ante Presbyterum federe non licet: cap. Iuxta Chalcedonensis, ait Alexander Secundus, Monachis quamuis Religiosis, ad normam S. Benedicti, intra Claustrum morari præcipimus; vicos, castella, Ciuitates peragere prohibemus, & à populo prædicatione cessare censuimus. cap. Qui verò, 16. quæstio prim. Concilio Chalcedonensi, statuitur, vt Monachi, qui per Ciuitates singulas, seu possessiones in Monasterijs morantur, sint Episcopo subiecti, & quieti operam dent, atque obseruent ieiunia, & orationes in locis, in quibus semel se Deo deuouerint, permanentes: & placet, eos neque communicare Ecclesiasticas, neque seculares aliquas attrahere actiones, relinquentes propria Monasteria; nisi forte iubeantur propter urgentes necessitates, ab ipso Ciuitatis Episcopo. Hæc omnia in supra dictis locis. Primùm ergo, vt dixi Monachi omnes etiam Abbates, laici erant. Deinde procedente tempore, cœperunt eorum aliqui in suis Monasterijs Presbyteri creari, vt ibi rem diuinam facerent, ac fortassis tunc Sacramenta alijs Monachis intra cœnobium non conferiebant, cum ea percipere deberent à Parocho presbytero, in cuius Parochia erat Cœnobium constitutum. Postea, vel Episcoporum concessu, vel consuetudine introductum est, vt etiam Sacramenta ministrarent: sed ita vt in cœtu tantum suo alijs Monachis Sacramenta præberent, & veluti quædam Ecclesiam inter se constituerent, ne ad alias Ecclesias amplius accederent, aut alienos Presbyteros accerere cogerentur. Atque ita, idem, & Presbyteri, id est, pastoris atque doctoris inter

suos, &amp;



suos, & Monachi munere, & officio fungebatur. Quare in c. Agapius 16. q. 1. increpat Gregorius quendam Episcopum, qui in certo Monasterio prohibebat Missarum sacrificia fieri, & offerri, mortuos sepeliri. Postea ij Monachi, qui erant ad Sacerdotium prouecti ceperunt quoque Episcopi auctoritate, & Abbatis consensu extra Monasterium officia Presbyterorum obire. Quare 16. q. 1. in c. Sunt nonnulli, Bonifacius reprehendit quosdam asserentes, Monachos qui mundo mortui sunt, & Deo viuunt, Sacerdotalis officij dignitate indignos, neque poenitentiam dare, neq. Christianitatem largiri, neq. absolueri posse per Sacerdotalis officij diuinitus sibi iniunctam potestatem. Sed omnino, inquit, labuntur. Neque enim B. Benedictus Monachorum preceptor alimifcus, huiusmodi rei fuit interdicator, sed eos secularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo. Sic ibi Pontifex.

Ex quo fit, vt iura Canonica, quæ per multa capita 16. quest. 1. ponuntur, secum inuicem non pugnent, quamuis pugnant videantur: nimirum pro varietate temporum diuersæ leges, & Canones sunt de Monachis constituti. Primum enim illi cum essent laici, etiam ipsi Abbates, Clericis inferiores habebantur: & cum solitudini, quieti, silentio, poenitentia, & contemplationi essent penitus dicati, extra Monasteria commorari prohibebantur, ac ideo arcebantur ab Ecclesiasticis Ordinibus. Postea vero vsu, & iure introductum est, vt aliqui eorum presbyteri crearentur, ea tamen lege, & consuetudine, vt in suis tantum Monasterijs, & sacris operarentur, & sacrificia offerrent: Sacramentaque cæteris Monachis conferrent: & propterea tunc etiam temporis extra Monasteria, Clericorum munera obire, & exequi prohibebantur. Tandem introductum est, vt non solum eorum aliqui, sed multi etiam ad Sacerdotium eligerentur, & Ecclesiastica munera extra Monasterium obirent. Cæterum, hoc tantum fiebat supplendæ idoneorum Clericorum necessitatis gratia. Deinde vero vsus etiam obtinuit, vt Monachi ipsi etiam Clerici muneribus, & officijs in Ecclesia fungerentur, quod eam ad rem magis idonei, & aptiores Clericis Monachi esse viderentur. **Q V A E R E S**, An vlla Monastica constitutione fuerit sancitum, ne Monachi Ecclesijs præficerentur? **R**espondeo, id nec Regulam S. Basilij, nec S. Benedicti, aut Augustini vetuisse, verum illud generatim tantummodo præcepisse, Ne secularia tractarent. Rursum quæres, an saltem iure Canonico communi, Monachi Ecclesiarum cura, & administratione prohibeantur? **R**espondeo, ex his, quæ hucusque dixi, posse colligi, iure antiquo ea re fuisse illis interdictum, quoniam iubebantur intra Monasteria commorari, ac postea non nisi causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesijs præfici solebant.

Duodecimò queritur, an Monachus locum habere queat in duobus Monasterijs? **R**espondeo, in cap. Ne nimia, De Religiosis domibus ad finem haberi: Illud etiam prohibemus, ne quis in diuersis Monasterijs locum Monachi habere præsumat. Hæc ibi. Porro is locum in Monasterio habere censetur, qui ius habet eligendi eius Monasterij Præfectum sive Præpositum, & qui suffragium fert in Conuentu.

bus, & Comitijs, & qui tenet sedem in Choro. Ne igitur quis duo suffragia ferret, & ius haberet duos Præfectos, siue Præpositos eligendi, sancitum est, ne Monachus in duobus monasterijs locum obtinere. **Q V A E R E S**, an quis possit vni Monasterio præesse, vt Abbas, & in altero monasterio locum habere, vt Monachus, & priuatus? Dubitationem parit id, quod in cap. 1. de Priuil. dicitur: Si Monachus maioris monasterij constituitur, Prior in Prioratu eidem monasterio subiecto, non desinat esse Monachus maioris monasterij sed in vtroque locum obinet. **R**espondeo, cum Abbate in eo capite, quando monasteria sunt seiuncta, & diuisa, ita vt vnum non sit alteri annexum, & adiunctum, siue subiectum, vnus Monachus in duobus monasterijs locum tenere nõ potest: secus verò est, quando non sunt separata, nec disiuncta. Si deinde quæras, num Prior vnus monasterij, quod est subiectum alteri, vocari debeat ad electionem Abbatis maioris monasterij præficiendi, cum is non desinat esse Monachus maioris monasterij. **R**esponder Abbas Innocentij sententiam secutus, seruandam esse consuetudinem, quod si nulla sit, videndum est, an Prior per se ius habeat eligendi proprium sui monasterij Præfectum: & hic vocari non debet, alioqui enim ius haberet eligendi duos Præfectos: an verò non habeat, & hic est vocandus.

Decimotertio queritur, An Monachus iure communi præfici queat Ecclesiæ seculari? **R**espondeo cum Panormitano in c. Quod Dei timorem, de statu Monachorum, communem in hoc sententiam secuto, si vt Episcopus Ecclesiæ sit eligendus, potest iure communi præfici, cap. 1. 12. q. 1. Clem. 1. De electi. cap. Si Religiosus, ca. Quorundam, de elect. in sexto, ex quibus locis patet Canonicozum suffragijs posse eligi Religiosum in Episcopum: nam, si iure communi habilis non esset, non eligeretur, sed postularetur, cap. ultimo, De Postulat. Prælat. At verò Religiosus electus consensum suum præstare nequit, nisi petita prius, & impetrata à Superiore facultate, cap. Si Religiosus, De elect. in 6. Vnde etiam Abbas nihil obstante dignitate, quam habet, potest in Episcopum eligi, cap. Si Abbatem, De elect. in 6. Si verò Monachus sit inferiori Ecclesiæ seculari præficiendus; tunc aut ea est Collegialis, aut non: Si est Collegialis, aut promouetur ad Canonicatum, siue aliud quodlibet Beneficiu simplex, aut ad aliquam ipsius Ecclesiæ Collegialis Dignitatem: si primum, tunc iure communi eligi, aut præfici nequit, ca. Super eo, De Regularibus. Nec Episcopus concedere potest, vt Religiosus sit Canonicus in Ecclesia seculari Collegiali, siue Cathedrali, nisi Cathedralis Ecclesia sit Regularis: tunc enim Monachus potest iure communi eligi in Canonicum: & hac ratione intelligitur, quod docet in Glossa cap. Quorundam, distinction. 74. Si verò ad Dignitatem eligatur Monachus, vt scilicet Ecclesiæ Collegiali seculari præfit tanquam Præpositus, dubiæ quæstionis est, an id fieri queat. Et quidem conueniunt omnes eligi posse, si Ecclesia Collegialis habeat propriè curam animarum, qualem habent Parochiales Ecclesiæ: sic Cardinalis, Hostiensis, Calderinus, Federicus, Abbas, quos citat Syluest. religio. 6. quæstion. 4. At si non habeat propriè curam animarum, sed impropiè, qualis est ea, quæ Præfectus Collegio habet

in eos,



in eos, qui ad Collegium pertinent, quæ est cura in iurisdictione consistens, tunc dubitant auctores: nam duæ sunt opiniones: prima negat iure communi eligi eum posse, nisi ius ipsum relaxetur ob curæ necessitatem. Sic Hostiensis, & Ioannes Calderinus, teste Syluestro. Secunda verò opinio eum eligi posse affirmat, cum id nusquam prohibitum sit: ita Panormitanus, & Cardinalis, quos refert Syluest. loco citato, & id probant, quia eadem ratio, atque de Episcopo esse videatur: cum eligatur ad curam eorum, qui ad Collegium pertinent.

Porro si Ecclesia collegialis non sit, aut in ea est cura animarum, aut non: si secundum, in ea Religiosus iure communi constitui nequit: Si primum, id est, si curam animarum habet, duæ quoque sunt opiniones, prima negat iure communi fas esse Religiosum, ei præfici absque iuris relaxatione. Secunda sententia est communis, ut ait Abbas, nimirum iure communi posse præfici, nec esse opus vlla iuris relaxatione. Hanc sententiam probant Hostiensis, Ioan. Andreas, Calderinus, Cardinalis, Abbas, quos citat Syluest. religio. c. 4. §. 5. quæ & verior mihi videtur: nam ob curæ necessitatem, & utilitatem ius concessit, ut religiosus possit eligi, & colligitur ex c. In parochia, cap. Doctos, ca. Cum pro vilitate, cap. Si Monachus, cap. Si quis Monachus, 16. q. 1. Quare si Patronus ad Ecclesiam parochialem nominet, designet, & offerat Religiosum, non est iure irrita nominatio, & designatio, siue præsentatio, ut in iure dicitur.

Ex his intelligitur, quid sit dicendum, de eo, quod singulatim quæritur, An Monachus Ecclesie seculari curam animarum habenti iure communi præfici queat? Respondeo, ut dixi, si ea sit parochialis, posse, ut aperte dicitur in cap. Quod Dei timorem, De statu Monachorum, quod nimirum intelligitur causa supplendæ necessitatis, cum alij Clerici minimè idonei reperiuntur: posse item id fieri Episcopi auctoritate, annuente tamen Abbate atque consentiente, ita ut nõ sit necesse ad iuris relaxationem confugere. Si verò Ecclesia tantummodo habeat curam animarum, Parochialis tamen non sit, sententia est Panormitani, ut iam dixi, posse etiam iure communi Monachum huic Ecclesie præfici auctoritate Episcopi, & Abbatis consensu.

Quæritur etiam, An iure communi concessum sit, ut Monachus auctoritate Episcopi, & Abbatis nutu atque assensu ad simplex Beneficium, cuiusmodi etiã est Canonicatus, eligatur? Respondeo, minimè: ut proinde sola Episcopi auctoritate, & Abbatis consensu fieri nequaquam possit: nam Canonice, & iura tantummodo concedunt, ut Monachus Ecclesie præficiatur ob animarum curam, & salutem.

Decimoquarto quæritur, An Monachus Ecclesie præfectus locium Monachum habere debeat? Affirmat Innocent. in c. Quod Dei timorem, de statu Monachorum, debere; negat Hostiensis: Abbas cum Ioan. Andrea distinguit in c. Monachi, de statu Monachorum. Aut Ecclesia est, inquit, Monasterio plenè subiecta, & tunc non potest in ea Monachus constitui sine locio: & in eum sensum accipi debet id, quod habetur in c. Monachi, & cap. Quod Dei timorem, De statu Monachorum, ubi decretum est, Ne singuli Monachi per

villas, & oppida, per quascumque Parochiales ponantur Ecclesias: Aut non est subiecta, & ita si Parochiali Ecclesie præficiatur, eo ipso definit esse Monasterij Monachus, & proinde liber ab lege, & præcepto sibi socium, & adiutorem Monachum adsciscendi.

Decimoquinto quæritur, An Monachus Ecclesie seculari Parochiali præfectus, Monastica etiam tunc regula, & Constitutionibus teneatur? Respondeo, eum nequaquam esse votis monasticis solutum, nec liberum ab habitu monastico deferendo: ab ijs tamen, quæ in Ecclesia seculari vna cum Parochiali munere commodè feruari nequeunt, liberatur, & soluitur, qualia sunt ieiunia, silentium, vigilia, & abstinentia à carnibus.

Decimosexto quæritur, Quibusnam iure Canonico Monachis interdictum sit? Respondeo, in Clem. Ne in agro, De statu Monachorum decem esse, quæ partim Monachi facere iubeatur, partim prohibentur.

Primum est: ut habitum monasticum deferant iuxta formam in eo capite præscriptam, quod ad Monachos nigro habitu vtentes tantummodo pertinet.

Secundum est: ut singulis quibusque mensibus sacram peccatorum confessionem faciant, siue in monasterijs, siue extra morentur.

Tertium: ut prima Dominica cuiuslibet mensis, in monasterijs Venerabile Eucharistie Sacramentum percipiant, nisi ex causa (quam Abbati, aut Priori, aut Pœnitentiarijs monasteriorum aperiant) abstineant ad eorum arbitrium.

Quartum: ut is qui præstet, exponat per se, vel alium, vulgari sermone Regulam in Capitulo.

Quintum: ut silentium continuum seruent in Dormitorio, Refectorio, & Oratorio, in Claustris verò ad certas temporum horas.

Sextum est: Ne aucupatum, aut venatum eant. Septimum: Ne intra monasterij septa, arma teneant.

Octauum: Ne se conferant ad Principum aulæ suæ curias.

Decimum: Ut vnoquoque triennio, Conuentum, siue Capitulum cogant.

Decimoseptimo quæritur, An hæc Clementina quatenus præcipit, ut singuli Monachi vnoquoque mense confiteantur, & prima Dominica cuiuslibet mensis Eucharistiam suscipiant, teneat etiam in vniuersum omnes Monachos, eos scilicet, qui vestibus albis induuntur, cuiusmodi sunt, qui à Monte Oliueto nomen habent, & Cistercienses, Camaldulenses, Carthusienses? Stephanus, ut ait Glossa in ea Clementina, respondet, solum teneri hac lege, qui nigro habitu vtuntur, nempe Benedictinos, quoniam ad eos Clementina dirigitur. Sed probabilius sanè alij opinantur, ut Glossa, Paulus, Bonifacius, Imola, Cardinalis, oēs hac lege Monachos obligari. QUÆRES, quo modo computandi sint menses, quibus illi confiteri iubentur? Respondeo cum Cardinali, eo modo, quod dicit Glossa in cap. Quam sit, De electis in sexto, ver. Menses, videlicet mensem esse computandum à die, qua facta est confessio peccatorum: & is mensis tot dies habeat, quot continet ille mensis, in quo est facta vltima confessio peccatorum: ac proinde numerabuntur omnes dies, qui

super-



super sunt ex eo mense, & reliqui supplebuntur ex mense sequenti. **Q**UÆRES deinde, an tempore interdicti generalis confiteri debeant? **R**espondeo cum eodem Cardinali, minimè. Item, dubitabis, num, si in primam Dominicam mensis incidit dies festus, & facer, videlicet Patroni Ecclesie, aut Dominicę Resurrectionis, aut Pētecostes, aut alterius solemniss celebratis, debeant Monachi sumere sacrum Christi corpus? **R**espondent Glossa, & Cardinalis, non ob id ab eo esse abstinendum. Si adhuc percuncteris, an si in prima Dominica mensis Monachus extra monasterium comoretur, accedere ad Eucharistiam debeat? **R**espondeo cum Cardinali, tuta conscientia, sine peccato tunc sacram communionem omitti; siquidem in Clementina dicitur: *In monasterijs percipiāt, cum tamen de Confessione dixerit: (Confiteantur singulis mensibus, siue in monasterio, siue extra commoretur.)* **Q**UÆRAT aliquis, num hæc lex teneat etiam Moniales? **A**ffirmat Cardinalis, eo quod masculinum genus comprehendit foemininum. **P**ostremò rogabis, num hæc lex usu, & consuetudine abrogari queat? **R**espondeo, abrogari posse, cum sit lex humana: quare ubi ea consuetudo inoleuerit, ne Monachi singuli, singulis mensibus confiteantur, aut ne prima cuiuslibet mensis Dominica ad diuinam mēsam, & epulum accedant, non est talis consuetudo damnanda. **S**i postremo roges, an si Monachus solum peccatis venialibus teneatur, debeat singulis mēsis peccatorum confessionem facere? **C**aiet. tom. 1. tract. 5. q. 1. sentit, debere. Sic etiam Nauar. de penit. ca. placu. dist. 6. nu. 121. 122. At Sotus 4. dist. 18. quest. 1. artic. 3. docet Monachum ad id non obligari, putat enim in Clementina prædicta solum esse præceptum Monachis, ut peccatorum lethalium confessionem singulis mensibus faciant, cum tamen ceteri non cogantur Ecclesie præcepto facere confessionem eiusmodi peccatorum, nisi semel quotannis. **V**alde probabilis est opinio Soti: saltem non videntur Monachi, hoc præcepto, ita teneri, ut si omiserint confessionem solum peccatorum venialium, lethaliter peccent: mitius enim & benignè leges interpretari debemus.

**D**ecimo octauo quæritur, An Monachis usu, & usu carniū interdictum sit? **S**. Thomas in *quodli. 1. q. 20. & 2. q. 155. art. 8. & q. 159. ar. 9.* docuit, Monachum alioqui sine iusta causa, videlicet infirmitatis, vel abique Abbatis concessu, siue permissu, carnes comedentem, lethalis peccati minimè reum esse, nisi per contemptum regulæ id faciat. **C**ommunis itidem est opinio, quam habet Sylu. *religio. 7. q. 14.* non lethaliter peccare Monachum, siue causa etiam, & facultate legitima, carnes edendo. **E**t quamuis peccet, siue iusta causa eis vntendo, penes Abbatem tamen ius est, & potestas concedendi Monacho carniū edendarum facultatem. **S**i obijcias c. *carne. de conse. d. 5.* poenam carceris constitui in Monachum carnes edentem. **R**espondeo cum S. Thoma, eam poenam poni contra Monachum carniū vescentem ex contemptu regulæ, vel contra speciale Abbatis præceptum.

**D**ecimono nono quæritur, An iure communi monasteria, sint subiecta Episcopo, in cuius diocesi sunt constituta? **R**espondeo, iure communi quilibet Ecclesias alicubi constitutas ad Episcopum

loci pertinere, & eo ipso, quo sunt in Diocesi constituta, ad Episcopum pertinere, nisi probetur eas esse exemptas, cap. cum venerabilis, de relig. domib. ca. de Xenodochijs, eo. 11. cap. omnes Basilice, 16. qu. 7. cap. contra morem, dist. 100. & olim omnia monasteria erant in cura & potestate Episcoporum, 18. q. 2. cap. Abbates, & cap. quia monasterium c. cum venerabilis, de Religio. domib. & nihilominus monasterio præerat Abbas: imò monachus magis erat Abbati subiectus, quam Episcopo loci, teste Glossa, & Panormitano, *locis citatis*, quo modo etiam nunc multa Sacrarum Virginum Cœnobija, cura, & auctoritate Episcoporum gubernantur, & in eis tamen vna Sanctimonialium cæteris præsidet. **R**OGABIS, an monachorum Cœnobija Presbytero Parochiali subessent in Sacramentis suscipiendis? **R**espondeo: quod attinet ad iurisdictionem, & gubernationem, erant Episcopo subiecta; quod ad sacramenta verò, Presbytero Parochiali, quando monachi non erant Clerici, ut dicit Abbas in cap. dilectus, num. 17. de Cappel. monach. Nam iure communi sicut omnes Ecclesie in diocesi constituta ad Episcopum pertinent: Sic Parochus habet ius in totam Parochiam, ut Sacramenta conferat omnibus his, qui in ea commorantur. 13. q. 1. & cap. Pastoralis, de ijs, que sunt in Prælati: iure tamen nouo, & Romanorum Pontificum beneficio, monachorum Cœnobija sunt ab Episcoporum potestate exempta, sicut etiam pleraque foeminarum monasteria, quæ sunt in cura, & potestate Religiosorum. **A**t verò iure communi monachorum Cœnobija à Presbytero Parochiali etiam in Sacramentorum perceptione libera sunt: quando Monachi sunt Sacerdotes. Nam ca. 1. 16. q. 1. Monachi quidem prohibentur extra monasterium Sacramenta præbere; conceditur tamen eis, ut sibi inuicem intra monasterium Sacramenta ministrant. **C**onsuetudo quoque probauit, ut Episcopus Sanctimonialibus, suæ curæ subiectis, & monachis nullum apud se Presbyterum habentibus, Sacerdotem aliquem præficiat, qui eis Sacramenta conferat, ut annotauit Abbas loco citato.

## Caput X X.

### De Abbate Monachorum Præfecto.

**P**RIMO quæritur, Quænam iure communi in Abbate requirantur? **R**espondeo hæc in primis, ut expressè professionem emisit, ca. Nullus, de elect. in 6. Quapropter Abbatia Regularis, quæ est Beneficium, dari in titulum iure nequit, nisi monacho Religionem professio: datur tamen ei, qui non est religionem professus in commendam, ut dici solet, aut in administrationem perpetuam, ut etiam commendari solet Cardinalibus, alijsque primarijs Ecclesie Clericis. **D**einde, ut sit Sacerdos, cap. 1. de etate, & qualitate ordinand. Abbatia tamen administranda committitur, & commendatur ei, qui presbyter non est. **I**tem, ut vigesimum quintum ætatis annum attigerit, Glossa in cap. Indemnitatibus, de elect. in 6. Insuper, ut à monasterio, cui præesse debet, eligatur. Nam olim etiam cum monasteria erant Episcopis subiecta, Abbas non ab Episcopo, sed à monasterio eligebatur, cap. Abbas, & cap. Abbatem 28. quest. 2. **A**mplius, ut ex eodem monasterio, ad cuius præfecturam assumi-



tur, creetur, nisi quādo idoneo ad id muneris monacho caruerit, tunc enim iure potest ex aliorum cōtū monachorum eligi, 23. q. 2. cap. *Quā sit*. Postremò; Vt vni tantum monasterio vnus Abbas præficiatur, nisi vnū sit alteri adiunctum, & annexum, cap. *vlimo*. De Religiosis domibus. Est autem annotandum ex Panormitano, in cap. cum monasterium, de elect. singulis olim monasterijs singulos Abbates fuisse, præpositos, ita vt vnū quodque monasterium suū tantum Abbatem agnosceret, non alium; & proinde illi vni tantummodo parebat non alteri. Nunc verò Romanorum Pontificum beneficio fit, vt aliqui monastici Ordines vni Generali Abbati siue Priori, siue Præsidenti, siue Visitori, tāquam capiti obediant, sub quo sunt inferiores aliorum monasteriorum Abbates, aut Priores, quales sunt Cistercienses, & Carthusienses, & ij, qui à monte Oliueto nomen habent.

Secundò queritur, An omnes Abbates sacrari, aut benedici debeant? Respondeo, ex communi Canonici iuris interpretum sententia, non omnes consecrari oportere, sed eos tantum, qui suæ Ecclesiæ more consecrari solent, cap. *Alienationes*, 12. q. 1. vbi dicitur, *Abbas, qui secundum Ecclesiæ suæ vsū consecrandus est*, hoc est, vt ait Glossa communis consensu recepta, benedicens. Canones veteres Abbates consecrari dicunt: at Canonici iuris interpretes iuniores eos nō consecrari, sed benedici testantur: nam Sacerdos, item Episcopus consecratur, quoniam sacra Chrismatis vñctione perūgitur: sed Abbas tantum, inquit, benedicitur. Benedictio verò est, qua solūmodo manu Episcopi super hominem imposta certa precationis forma adhibetur. 1. q. 1. cap. *Manus*. & ideo cum consecratur Abbas, non consecratur propriè, vt Sacerdos, vt Episcopus sed benedicitur, & eius consecratio vocatur impositio manus Pontificia, cap. *Quoniam*, distinctione 69. Nos igitur deinceps non consecrari, sed benedici Abbatem dicemus: vt cum pluribus loquamur.

Tertio queritur, An Abbas qui benedici solet, Ecclesiæ suæ more, benedici die tantum Domini ea debeat? Respondeo ex omnium sententia, cæteris etiam diebus benedici iure posse, in quibus Minores Ordines conferuntur: nam benedictio Abbatis non est tanta, quanta Episcopi consecratio: nec est maior, quàm Ecclesiæ, vel altaris consecratio: in qua adhibetur sacra vñctio, quæ tamè alijs diebus quàm Dominicis, iure communi fit, cap. *Tua*, De consecra. Ecclesiæ, vel altaris. Sic Oldradus, Ioannes Andreas, quos Panormitanus sequitur in cap. cum sis, de consecra. Eccle. vel altaris, licet Hostiensis tutius existimet, si die Dominica benedicatur Abbas.

Quartò queritur, An Abbatis benedictio iure iterari queat? Pingamus Abbatem benedictum eligi ad alteram sui Ordinis Abbatiam, Quæstio est, an ad secundam electus, iure iterum benedicatur? Respondeo: licet Glossa in *Clemen. attendentes*, s. *statuimus*, verbo *benedici*, de statu Monachor. de hac re dubitauerit, communis tamen sententia, quam tradunt Bonifacius in *Clement. citata*, & Nauar. *consil. 2. de statu Monachor.* ait, non esse iterandam: nam licet characterem non imprimat, nihil tamen refert, cum etiam benedictio nuptialis non repetatur. c. 1. & 3. de secund. nups. nec pœnitentia solemniter

iteratur c. *Quamuis*, c. *In cap. dist. 30*. At Benedictio Abbatis iterari potest, vt ex Felino tradit, loco citato Nauarrus.

Quintò queritur, An post electionem, confirmatio benedictionem præcedere iure debeat? Respondeo debere. Nam sicut olim Episcopus à Collegio Clericorum eligebatur, deinde auctoritate Primatis, vel Metropolitanis confirmabatur, post ea consecratur ab Episcopis: sic olim vbi Abbas suæ Ecclesiæ more benedicebatur, primum à Monasterio eligebatur; deinde confirmabatur ab Episcopo; postremò ab eodem Episcopo benedicebatur: & vbi nunc Abbates benedici non solent, solū eliguntur, vel nominantur, designantur, siue offeruntur, vel vt passim dici solet, præsentantur, & deinde instituuntur, & simul confirmantur.

Sextò queritur, à quonam secundum Canones, & iura Abbas electus confirmari debeat? De hac quæstione, Syluest. Abbas. *quæstion. 1. ex Abbate Hostiensis, Durio, & alijs*. Respondeo: Si Abbates sint exempti, Romani Pontificis auctoritate generali, vel peculiari, confirmari debere, vel auctoritate Legati à latere, si vllus sit in Prouincia, cap. *si Abbatem*, de elect. in 6. etiam si prouinciam, & legationem exuisset, vt notauit Glossa. Si verò non sint exempti, Episcopi auctoritate confirmantur, ex Panormitano. At Romanorum Pontificum priuilegio Monastici Ordines obtriuunt, vt inferiores eorum Abbates suorum Superiorū Abbatum, vel Præsidentium auctoritate confirmantur: quemadmodum Priores, & Ministri Prouinciales Mendicantium Ordinum, nutu, & auctoritate Prioris, & Ministri Generalis confirmari solent. Porrò Abbates, qui benedici solēt ijs solū diebus, quibus Minores Ordines iure conferuntur, benedici debent, vt dixi. **QVÆRES**, an Abbati per benedictionem, an verò per solam confirmationem iurisdictionis potestas conferatur? Respondeo, esse distinguendum, cum confirmatio sola, benedictionis vicem, & firmiterū habet, aut vbi sola benedictio, sine vlla cōfirmatione priori locum obtinet, tunc per confirmationem, aut per benedictionem omnis potestas, & iurisdicctio Abbati conceditur. At verò vbi confirmatio præcedit, & à Benedictione distinguitur, per confirmationem conferuntur Abbati omnia, quæ ad iurisdictionem spectant, nō autem, quæ ad Ordinem, qualia dixeris esse, sacrate vasa, aut vestes, aut Minores Ordines conferre, aut populo solemniter ritū benè precari. Per benedictionem verò tribuitur plena administrationis auctoritas, vt ea, quæ sunt Ordinis, possit exequi, vt docuit Abbas in c. *de offic. ordin. ROGABIS* an possit Abbas hæc ante benedictionem munera obire? Respondeo, quando vsus habet, vt benedicatur, iure non posse, secus verò posse, Immo etiam Abbas, qui de more benedicitur, si tertio humiliter, & religiosè ab Episcopo benedictionem petierit, quam tamen Episcopus denegauerit, tunc potest ea, quæ sunt sui muneris, præstare, & implere. Nam Alexander Tertius scribens Cisterciensibus, cap. *Statuimus*, De supplen. negligent. Prælatorum, hoc apertè concedit, additque Antonius Burtius idem iuris habere Abbatem, si semel petitam humiliter, & piè benedictionem, Episcopus

tenuerit



reuerit impertire: quod etiam Panormitanus approbat. **Quæritur**, an hoc Priuilegium sit tantum Cisterciensibus concessum, an omnibus etiam in uniuersum Abbatibus? Innocentius affirmat, id tantum Cisterciensibus conuenire; quia in cap. *Stacimus*, Pontifex solum ad eos loquitur. At Glossa, & Hostiensis, Ioannes Andreas, & Panormitanus, omnibus uolunt illud concedi. **Respondetur**, quænam alia ad officium Abbatis pertineant, quæ ipse iure obire possit, quando Episcopus monitus negligit eum benedicere: num Abbas tunc ea, quæ sunt Ordinis poterit exequi. Goffredi, & Innocentii est opinio negantium, Abbatem præstare posse, ea quæ sunt Ordinis, ea ratione, quod Pontifex in capite citato, ait posse eum facere alia, quæ ad suum officium spectant; at quæ sunt Ordinis, minimè conferuntur, ad suum munus pertinere. **Sed** Glossa, & Abbas docent posse etiam, quæ sunt Ordinis, quoniam ea omnia ad munus, & officium Abbatis attinent, & ei conceduntur ob negligentiam Episcopi benedictionem expressè, vel tacitè denegantis.

**Septimò** queritur, Quanta sit Abbatis auctoritas, & potestas in Monachos, & in alios sibi subiectos? **Respondeo**, eum posse in primis solemnem benedictionem populo impertiri in Ecclesijs ad ipsum pleno iure pertinentibus, post Missarum sacrificia perfecta, & absoluta, post uel pertinas preces, aut matutinas decantatas; non autem alibi publicè, aut per vias, aut Ciuitates, Castellam, aut villas. cap. *Abbatibus De Priuilegiis*, in 6. Ecclesiæ autem dicuntur monasterio pleno iure subiectæ, ut docet Glossa; quæ tum in his, quæ ad ipsi ritualium, tum in ijs, quæ ad temporalium rerum administratioem pertinent, sunt in cura, & potestate Monachorum. Deinde, potest Minores Ordines conferre, ex cap. *quoniam dist. 69.* & cum contingat de astate, & qualitate, seruat tamen decreto Concilij Tridentini, sess. 23. cap. 10. de Reformat. ubi dicitur: *Abbatibus, ac alijs quibuscuque exemptis non liceat in posterum intra fines alicuius diocesis consistere, etiam si nullius diocesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, uel Minores Ordines conferre. Nec ipsi Abbates, & alij exempti literas dimissorias aliquibus Clericis secularibus, uel ab alijs ordinentur, concedantur: sed horum omnium ordinatio, seruatis omnibus huius sanctæ Synodi decretis, ad Episcopos, intra quorum diocesis fines existant, pertineat.* Hæc ibi. At Abbates Regulares habent ex Priuilegio facultatem deferendi Episcopi insignia, uidelicet baculum pastorem, annulum, & mitram, si Sacerdotes sint, & benedictionis munus susceperint, conferre queunt Tonsuram, & Minores Ordines laicis, & secularibus hominibus, Episcopi iurisdictioni subiectis, si ipsius Episcopi consensus accesserit, & ab eo dimissorias literas acceperint. Ita tamen, ut satis non sit id generatim Episcopum concessisse, sed speciatim singulis. Sic declaratio Cardinalium Concilij Tridentini interpretatum habet. **Possunt** etiam ijdem Abbates eisdem Ordines conferre alijs Regularibus, qui dimissorias literas speciales suorum Superiorum, necnò specialem assensum habuerint Episcopi illius loci, in quo huiusmodi Ordines suscipiendi sunt. **Ty-ta** item contententia supradicti Abbates conferunt prædictos Ordines secularibus aliorum E-

piscoporum iurisdictioni subiectis, dummodo acceperint suorum Ordinariorum speciales literas dimissorias, & consensus adfuerit Episcopi illius loci, ubi Ordines suscipiuntur. Hæc omnia Declaratio Cardinalium prædicta. Præterea potest Abbas Monachos absoluerè ab omnibus peccatis, & censuris, nisi alteri, ipso iure referentur, ut ait Syluest. in verbo. *Abbas. quest. 2.* Idem potestatem habet in Monachos excommunicatos, & suspensionis ferendi sententiã, tamen si benedictus non sit, sed tantum confirmatus teste Syluest. loco citato ex cap. *sicut tuus de Simon.* & cap. *cum Ecclesiarum de Offic. ord.* & Glossa *ibidem.* Soluit & Monachos à uotis ante ingressum in monasterium factis: eorundem uero intra monasterium emissa uota iure potest, vel commutare, vel irrita reddere. Syluest. loco citato. Soluit quoque, ac liberat Monachos ab irregularitate contracta ob susceptos Ordines in excommunicatione, si id per obliuionem, vel ignorantiam fecerint. Syluest. *ibidem.* Habet etiam ius corrigendi Monachos, an uero id iure faciat sui Capituli consilio minimè petito, statim explicabo; necnon habet ius dandi Monacho facultatem in separata ab monasterio cella commorandi, iustam ob causam, cap. *vl. 20. questione 4.*

**Octauò** queritur, An Abbas ius habeat eiiciendi Monachum? Paulus, & Cardinalis in *Clemen. 1. de regul.* negant, ut etiam Panormitanus in cap. *vl. de regularib.* eo quod in ca. *vl. de Regularib.* sancitur, ut Abbates fugitiuos, & eiectos Monachos perquirant, & ad monasterium reducant. Nauarrus in *Comment. 2. de regularib. numer. 68.* tradit penes Abbatem ius esse Monachum expellendi, idque S. Benedicti, & S. Augustini instituta præscribere: & in cap. *vl. de Regularib.* Potius, inquit, tanquam certum ponitur posse Monachos à monasterio expelli. Si quidem in eo ca. decernitur, ut Abbates fugitiuos, & eiectos exquirant, & ad monasterium redire compellant. **Quicquid** sit de Constitutione Monastica, vel iure Canonico, communi in præsentia negotio, negari non potest vlu esse introductum, ut Abbas adhibito sui Conuentus consilio, Monachum cuius correctio desperatur, eiiciat, ut pudore suffusus facilius, & citius resipiscat, & iure peculiari, ac instituto Religionis ob alia uitia, & crimina potest iure Monachus eiici. Verum de hæc quæstione supra iam disputauimus hoc lib. cap. 16. q. 2.

**Nonò** queritur, An Abbates lege cogantur Monachos fugitiuos, & eiectos quotannis perquirere, & ad monasterium reuocare. Hanc quæstionem supra dilui, hoc lib. cap. 17. q. 1.

**Decimò** queritur, An Abbas iure Monacho facultatem concedere queat transeundi ad aliud Religiosæ uitæ institutum? Hanc quoque quæstionem superius suo loco distolui, hoc libro cap. 15. questione 1.

**Vndecimò** queritur, An liceat Abbati facultatem Monacho dare, ut in cella separata seorsum ab alijs Monachis uiuat? **Respondeo**, licere iusta, & legitima id causa deposcete, ut paulò ante iam dixi: & colligitur ex ca. *vl. 20. q. 4.* ubi habetur: *Seruandum quoque de Monachis statimus, ne eis ad solitariam cellulam liceat à congregatione discedere; nisi forte probabili post emeritis labores, aut propter infirmitatis ne-*



esuatem, à peior, Abbatis licentia, regia permittatur, quod ita demum fiat, ut in eadem Monasterij septa, tamē sub Abbatis potestate, separatas habere cellulas permittantur. Hæc ibi.

Duodecimò quæritur, An liceat Abbati, concedere, ut Monachus peculium habeat? Huius itē quæstionis solutionem superius cum de hac re ageretur, attulimus.

Decimotertio quæritur, an Abbati ius sit Monachos corrigendi absq; sui Monastici Collegij, seu conuentus consilio? Respondet Panormitanus in cap. reprehensibilis, de appellat. num. 11. & ea ad nostram eg. tit. cum Ioann. Andrea. in cap. Ioannes, de regularibus ius esse Obijcies in cap. Reprehensibilis, De Appellation. aliter constitui, dum meminit Capituli, in correctione Monachi? Respondet Ioannes Andreas ibi Capitulum sumi non pro Collegio, sed pro loco, ubi sit correctio. Obijcies deinde, Episcopo fas non esse Clericos absq; Capituli consilio corrigere, ut constat ex cap. Nouit, & cap. Quanto, De his, qua sunt à Prelatis, & 15. q. 7. c. Episcopus nullius, & tamen Episcopus maior est, & superior Abbate. Respondet, ius corrigendi Monachos Abbatem habere auctoritate, & concessu Regulæ, quæ statuit, totam in monasterium potestatem penes Abbatem esse: ac Episcopo ius Canonicum minimè concedit, ut Clericos sine Capituli consilio corrigat, quamuis iam vsu introductum sit, ut eos solus corrigat, capit. Non est, De consuetudine, in sexto.

Decimoquarto quæritur, An Abbas suo statuto, quod Conuentus, siue Collegij consilio edicit, teneatur? Respondet, cum Panormitano, & sententia ab omnibus recepta, minimè. Abb. in ca. cum ad monasterium, de statu Monach. Sylust. Abbas quest. 4. Nauar. consil. 20. num. 9. de regularibus. Ipse enim seipsum lege obligare nequit, ac multo minus ipse suorum Monachorum auctoritate alligari potest, cum sint ipsius potestati subiecti. Quo fit, ut si Abbas Monacho Administrationem aliquam, Prioratum, vel Beneficium concedat, id possit reuocare, cum nequeat Abbas sibi legem imponere. Id quoque Abbas si statutum condiderit, idque seruatum se iureiurando promiserit, si reuocet, aut contra faciat, periurij quidem crimine tenetur, reuocatio tamen rata, & firmata est, ut docuit Ioan. And. in ca. cum ad monasterium, de statu Monacho. non est obligatorum de regu. iur. in 6. Sylust. Abbas q. 4. Nauar. consil. 20. n. 9. de regulari. si item Abbas cum Monacho conueniat ea lege, ut in literarum studio incumbat, etq; propterea aliquid promittat, ius Monacho non est eum compellendi ad standum his, quæ promittit. Quemadmodum, inquit, Panormitanus, seruus dominum sibi obligare non potest, sic nec Monachus Abbatem.

Decimoquinto quæritur, An Abbatis statutum, suum successorem teneat? Respondet, cum Panormitano cum ad monasterium, de statu Monacho. Nauar. consil. 20. n. 9. de regularibus. minimè, eo quod par in parem imperium non habet. Hinc est, ut si Abbas Monacho Ecclesiam administrandam commiserit, ea lege, ut certos annuos redditus alteri debitos solueret, eamque meliorem redderet, successor possit eum ab Ecclesia amovere: nam idem iuris, quod Abbas in eum Monachum habet, successor quoque eius habet.

Decimosexto quæritur, An Abbas habeat ius soluendi, & extimendi Monachum ab alio cuius Regulæ obseruantia? Respondet, eatenus tantum habere, quatenus à iure, vel Regula, vel consuetudine, vel privilegio conceditur. Porro, ut Panormitanus ait c. cum ad monasterium, de statu Monach. In multis Abbas potestatem, & auctoritatem habet, vel Regulam, vel ipsum commune quoque ius relaxandi. Etenim potest facultatem Nouitio dare sacros Ordines suscipiendi, c. Monachus, dist. 77. Deinde potest concedere, ut Apostata, siue Religionis desertor ad alios Ordines ascendat, vel in susceptis ministrat: ve colligitur ex cap. vi. dist. 50. dummodo tamen Apostata tempore Apostasie, nullum sacrum Ordinem susceperit: alioquin enim solius Romani Pontificis beneficio ea irregularitas soluitur, c. vi. de Apostasie. Eadem Abbatis auctoritate Monachus extra legitimum coniugium natus, potest ad sacros ordines prouehi, cap. primo, De filiis Presbytero. Idem Monachos soluere potest lege semel singulis quibusque mensibus peccata confitendi, & sumendi Eucharistiam, clement. 1. De statu Monach. Eiusdem præterea Abbatibus nutu, & approbatione potest Monachus, Episcopi auctoritate, ac Populi consensu, Ecclesiæ Parochiali præfici, cap. cum pro utilitate cap. Monachus, cap. Dilectus, 16. quest. 1. cap. Nullus, & cap. si quis dist. 58. Postremo in ieiunijs, abstinentijs, cibis, & vlu carnium, silentio, & operibus manuum: quæ omnia ex Regulæ præscripto Monachi seruare debent, potest Abbas Regulam remittere, ac laxare, immo generaliter in omnibus ad Regulam spectantibus, præterquam in ijs, quæ ad trium votorum obseruationem, & habitum, & religionis substantiam pertinent.

Decimosexto quæritur, An Consuetudine possit Abbas Episcopi iura præscribere? Respondet ex communi sententia, posse ea, quæ ad Episcopi iurisdictionem atinent, non tamen, quæ ad potestatem Ordinis, cap. Aqua, de consec. Eccles. Cæterum Consuetudine Abbates aliqua, quæ iuris Pontificij, & potestatis præscriptis videntur: ius enim habent Abbates, (ut supra iam diximus) Quatuor Minores Ordines cõferendi, conlecrandi quoque sacra vasa, & vestes: nisi dicere velimus hæc, & his similia minimè Abbatibus conuenire ex consuetudine, sed Romanorum Pontificum, & ipsius iuris communis concessu, siue permissu: quemadmodum eorundem quoque Pontificum beneficium quod habeatur in cap. v. Apostolica De Priuileg. gaudent Abbates Episcoporum insignibus, nimirum baculo pastoralis, mitra, annulo, & sandalijs.

Decimosextauo quæritur, An Abbas, qui privilegio, vel consuetudine de ferie solet Episcoporum insignia, cæteros Abbates eis insignibus carentes præcedere debeat? Respondet, haud dubie præcedere, vbiunque eos, hiis insignibus ornatos incedere publice, sedere, stare, aut in comitijs suffragum ferre, sententiam dicere oportet, hoc colligitur ex c. v. Apostolica, de priuileg. in 6. ut aut Nauar. consil. 1. nu. 5. de Maioribus, & obediens.

Decimonono quæritur, An Abbas cuius Abbatia ad nullam pertinet dioc. eius, & nihilominus propria Episcoporum habeat iura, Ordinarij nomine accipi debeat? Respondet cum Nauar. in consil. 5. de spons.



et Glossa in cap. Ordinarij, de offic. Ord. in 6. verbo. locorum. debere accipi; nam in iure, nomine Ordinariorū, nisi quid aliud peculiare exprimat, nō tantum veniunt Episcopi, sed etiam Clerici inferioris dignitatis. **QVÆRES** quid iudicandum, si lex, vel constitutio exprimat Dioecesanos? Respondeo, cum Nauar. loco citato, & cum Glossa, in Clem. 1. de in re patro in verbo, Dioecesanis, ea voce tantum Episcopos significari, non item inferiores. Dubitabis, an cum in lege, vel Cōstitutione Ordinarius loci nominatur, solus Episcopus, an etiam Abbas veniat intelligendus? Respondet Glossa in ca. Ordinarij, de offic. ordinarij in 6. in verbo, locorum, nomine Ordinariorū accipi etiam Abbates, tamen si in lege, vel statuto Ordinarius loci dicatur.

**Vigesimò** queritur, An iure communi Abbates sint perpetui? Respondeo, esse: vt colligitur ex cap. Vifis, 16. q. 2. c. Querelam, ca. Inferior. d. 21. Nihilominus tamen vsu, & statutis, siue Cōstitutionibus aliorum Monasticorum Ordinum introductum est, vt Abbates ad triennium tantummodo eligantur, & præ sint.

**Vigesimoprimò** queritur, vtrum magis expediat, Abbates ad tempus creari, & præfici, an verò in perpetuum? Nauarrus in Commen. 3. numer. 3. de Regularib. censet innumera propemodum incommoda oriri ex temporali Abbatum præfectura. Inde, inquit, ambitionis vitium enascitur, quo bona pars Monachorum ad præfecturas aspirat: inde promissiones, pacta, conuentiones plurimæ, labe simonica infectæ oriuntur, quibus alij alijs suum suffragium in electione pollicentur, pecunia, vel alio temporali commo accepto: disciplina Religiosa enervatur, ac debilitatur, dum electus suis electoribus, fautoribus, ac suffragatoribus studet grati suum animum declarare, plura eis concedit, atque promittit, quam par sit. Inde subornationes, factiones, dissidia, similitates existunt, quæ fraternam pacem, & concordiam vehementer perturbant, ac lacerant. Neenon & plurimæ detractiones, ac sursurrationes, dum alij aliorum vicia, tum naturæ, tum morum produunt, ac detegunt, & interdum etiam exaggerant: interdum etiam falsa cōfingunt, aliorum virtutes, & merita minuunt, & extenuant: languescit etiam auctoritas eorum, qui eliguntur, Abbatum, ac Præpositorum in erratis subditorum corrigendis, præsertim eorum, qui suum suffragium in electione dedere: Contrà verò in eos, qui id denegarunt seuerius, & durius animaduerti solet; vnde sensim, ac paulatim disciplina Regularis euanesceat. Quin etiam negligentiores sæpe numero redduntur Abbates in acquirendis, conseruandis, & augendis Monasterij bonis, quando eorum præfectura vnus triennij spatij, quasi breui temporis momento, finitur, & desinit. Denique primi illi Monasticorum Ordinum parentes, ac institutores voluerunt Priores seu Abbates Ordinis sui stabiles esse, & perpetuos. Immo de Tiberio Cæsare memoriæ proditum est, eum aut nunquam, aut raro Prouinciarum Præsides, siue Rectores mutare consueuisse, eo quod plebi parceret, quæ Præsides ad modicum tempus administratur, ad sanguinem vsq; emungebant, & alij his noui succedentes residuum sanguinis exugebant. Cuius rei gratia prudenter sanè, & appositè apologum

illum adhibebat, de homine saucio, qui muscas plagis suis infidentes nolebat abigere, & cuidam ex benignitate abigenti: Nocuisti, inquit, mihi: Nam abegisti saturas, quæ me parum infestabant; quibus succedent famelicæ, quæ me acrius vexabunt ac pungent. Obijciet aliquis id, quod experimento docemur, perpetuos præfectos, quasi nimios, & duos exactores euadere, plus æquo seueriores, & austeriores, eoq; minus tolerabiles reddi. Respondet Nauarrus è duobus malis, quod minus est, eligendum: at plura, inquit, mala oriuntur ex præfectura temporaria, quæ ex perpetua. Præsertim, quod huic malo, & incōmodo, si quando eueniret, facilius, & commodius potest remedium adhiberi; si nempe obseruatur id, quod in Conc. Trident. sess. 25. cap. 8. de regul. decernitur; vt capitula fiant generalia, in quib' statuatur, quæ sunt ad conseruationem, ac reformationem Ordinum necessaria: & deputentur Visitatores, qui Monasteria visitent in capite, & membris, faciantque omnia seruari iuxta statuta, & annotata in cap. In singulis, & cap. ea que, De statu Monacho. Item, statui, inquit prædictus Auditor, posset, vt Præfecturæ sint quidem perpetuæ; sed ea tamen lege, vt nihil, quod alicuius sit momenti, Præfeti sine cōsensu Monastici Conuentus, aut Definitorum assistentium qui à Conuentu eligantur, decernere queant. Postremò, cum olim eligerentur Antistites à Canonicorum Collegijs, indeque manarent in dies latius, ac fluerent, ambitiones, Simoniæ, subornationes, lites, dissidia, similitates, vsu quidem, & consuetudine, sed in primis Romanorum Pontificum auctoritate, studio, cura, & vigilantia effectum est, vt vel à Regibus, ac Principibus, Ecclesiarum patronis Episcopi nominentur, designentur, & offerantur, & vt dici solet, præsententur, & à Romano Pontifice instituantur: vel ipsius Romani Pontificis auctoritate eligantur, & creentur. Quamuis Mendicantium Ordines hoc vnum retinuerint, vt locales monasteriorū Præpositi, siue Præfeti, qui Priores, vel Guardiani vocantur in suis Conuētibus Prouincialibus, vel Generalibus eligantur. Sed nescio equidem quanam modo, aut malo, frequens Præpositorū mutatio vulgò solet esse gratissima. In hoc, sicut in multis alijs variis, & contraria sunt hominum iudicia, studia, & voluntates: & quisq; in suo sensu abundat.

**Vltimò** queritur, An iure communi Abbas, siue cōuentu Monachum admittere, & creare possit? Abbas in cap. cum Ecclesia Puluerana, de elect. & in cap. ad Apostolicam, de regularibus, & in cap. ea noscitur, de his, que sunt à prelati, censet, iure communi posse: idem quoque ait Felin. in cap. quoniam, de Simonia. Selua in tract. de Benef. part. 2. quest. 22. Syluest. religio. 3. quest. 13. At oppositum docet Glossa in cap. vis. de regular. in 6. Et hæc opinio est communi consensu recepta, vt ait Nauarr. in comen. 3. nu. 5. contra Abbatem.

## Caput XXI.

De innumerabili Monachorum  
multitudine.

**PRIMO** queritur, An vera sint, quæ de ingenti Monachorum veterum multitudine referuntur?



tur? Respondeo: vera esse; nam quamvis plerique mirentur, nonnulli dubitent, pauci quidam interrogent, qui fieri potuerit, ut tanta, quanta fuisse memoratur, Monachorum multitudo floruerit, ea tamen ab auctoribus fide dignis describitur. Athanasius enim cum vitam, & acta Antonij commemorat: *Erant, inquit, in monte monasteria tanquam tabernacula plena diuinis choris psallentium, lugentium, orantium, qui insuata regione quamdam, & oppidum a mundana conuersatione seculum videbantur incolere.* De Hilarione, qui eodem tempore in Palestina, quo Antonius in Aegypto vivebat, innumera, ait Hieronymus in vita Hilarionis monasteria fundauit: & de Machario Antonij discipulo legimus eum suæ disciplinæ alumnos habuisse quam plurimos. De Charitone quoque scriptum est, eum in Palestina plura extruxisse Cœnobita: & Isidorus fertur vno in Cœnobio plusquam mille, & in eodem paulo post aucto numero, Apollonius plusquam quingies mille Monachis præfuisse: In monte Nitria, qui ab Vrbe Alexandria vnus ferme diei itinere distabat, quingenta monasteria penè contigua extitisse dicuntur: quæ omnia ab vno Præside, vnoque vitæ magistro regebantur. Palladio teste oculato, in sua illa peregrinatione, quam scriptam reliquit, ciuitas quædam fuit, in qua plura erant monasteria, quæ profanz domus, ita ut omnes vici, & omnes anguli pleni essent Monachis diuinis laudes decantantibus: & idem prohibet se in Vrbe Memphi, & Babylone innumerabilem vidisse multitudinem Monachorum, qui omnes varijs Spiritus sancti donis fulgebant: & prope Thebas se cum Ammonio congressum patre trium millium Monachorum. Item, Serapionem à se visum testatur, qui decies mille Monachos, plurimos tamen domicilijs, aut cellulis diuinos gubernabat. Fertur etiam Pachomius, ut scribit Niceph. lib. 9. hist. Eccles. c. 14. varijs in domibus modico interuallo distinctis apud Insulam in Thebaide, quæ Tabenna nominatur ad septem millia discipulorum habuisse, & in qua ipse degebat, plures quàm mille, quos quidem omnes commodioris gubernationis gratia, in quatuor, & viginti classes pro Græcarum literarum numero, & varietate distribuit. Scribit Theodoretus in historia Sanctorum patrum, infinita fuisse monasteria in toto Oriente, in Palestina, in Aegypto, in Asia, in Ponto, in Cilicia, Syria, & Europa. Narrat Hieronymus in Paulæ viduæ Epitaphio, Epist. 27. cum ea mulier studio sancto illos patres viuendi, deserta adijisset, occurrisse ei turbas innumerabiles Dei famulorum; quo spectaculo ita delectata est, ut sui sexus oblita, inter tot millia Monachorum optauerit habitare. In Antiochæ ciuitate, ait Palladius in historia Sanctorum patrum ad Lausum ca. 96. Quadraginta annos versatus sum: eo tempore accepti etiam cognitionem eorum, quæ sunt illic, monasteriorum. Nam circa Ciuitatem sedent viri circiter bis mille. Et cap. 52. ait, Apollo Abbas pater erat Monachorum circiter quingentorum. Et cap. 7. scribit, in monte quodam habitare quinque millia Monachorum. cap. 9. ait, in monte Nitria fuit Abbas nomine Or habens monasterium mille fratrum: ad quem Abbatem postea conuenerunt tria millia Monachorum. Nec tamen tantus Monachorum numerus soli il-

lorum temporum felicitati respondit, nec vna cum illis temporibus intercidit, exaruit, & extinctus est, sed posterioribus etiam seculis floruisse perhibetur.

Nam Bernardus in vita Malachie Episcopi, auctor est, in vna Hybernia monasterium fuisse, quod multa millia Monachorum procreauit, & caput multorum Cœnobiorum extitit. Locus, inquit, vere sanctus, secundisque sanctiorum, copiosissime fructificans Deo, ita ut vnus ex filijs sanctæ illius Congregationis nomine Luauus centum solus monasteriorum fundator, extitisse dicatur: & paulo post subiicit: *Ad has nostras Gallianas partes sanctus Columbanus ascendens, Luxoniense construxit monasterium factum ibi in gentem magnam. Ait tam magnam fuisse, ut succedentibus sibi vicissim choris continuarentur solemnia diuinorum, ita ut nec momentam quidem diei, ac noctis vacaret, à laudibus. Scribit Trithemius auctor grauis, qui vixit anno Domini 1480. mirram fuisse Monachorum sui Ordinis multitudinem. Numerus, inquit, monasteriorum Abbatem habentium vltra quindecim millia extenditur, exceptis præposituris, & Cœnobijs Monialium. Vnde si vnusquisque sua possideret, & Benedictus tertiam partem Christianitatis habere crederetur. In provincia sola Moguntina nunc habemus Abbatias, centum viginti quatuor, præter illas, quæ ab ordine nostro seorsum sunt: quarum numerus denarium superat. Et Folengius eiusdem instituti, cuius Trithemius Monachus, in Commentarijs in Psalmum 102. explanans illum Versiculum: In conueniundo populos in vnum, scribit inquit, Pontificia decreta referunt, vno eodemque tempore Benedictini instituti fuisse supra septem, & triginta millia Cœnobiorum, quas Abbatis vocari libuit. Idem quoque auctor Trithemius ait, tempore Ioannis 22. Monachorum reperti sunt, ex instituto Benedictino quindecim millia, quingenti, quinquaginta nauem, qui sunt in sanctorum numerus relati. Et Sabellicus non ignobilis historicus Carmelitani instituti originè recensens, ait: *Pudet locorum, & Religionis huius initiatorum immensum numerum referre, quem in Commentarijs Carmelitani cuiusdam aliqui multi nominis reperio, nisi forte sit in numero error, pro mendacio haud dubie reselli posset, ut septem millia sint hodie Cœnobiorum, & quingenta Carmelitani nominis, in quibus sacri operentur centum, octoginta, & amplius initiatorum millia. Deinde verò subiicit: Quod si omnium Christiana pietatis Religionis ceteris in vnum conferas, vix, ut arburor, tam ingens numerus expleatur. Sed tantum abest, ut fidem meam in eo obstringam, ut ne velatum quidem in hoc videri velim, tanquam duxerim dignum, cui fides haberetur. Hac ille subiecit, ut fidem, & auctoritatem tanto Religiosorum numero derogaret. Sed ante illum auctor è, ingentem eum numerum, auctor non parui nominis scriptum reliquit, videlicet, qui continuauit historiam de bello sacro inceptam à Guillelmo Episcopo Tyri lib. 5. ca. 3. Idem Sabellicus cum de Ordine Dominicane Familie mentionem fecisset: *Confessatur, inquit, cum hæc committarentur, vna, & viginti prouincie Prædicatorum, Conuentus sine Cœnobio quatuor millia, centum, quadraginta tria, & in his initiati sex, & viginti millia, quadringenti, sexaginta quorum circiter mille quingenti essent Theologicæ professionis magistri. Et ibidem Franciscani etiam Ordinis initia commemorans: Ratio ait, & nescio, an vnaquam verum dixerim, vltimam humanæ pietatis institutionem maiora sensu incrementa, totum orbem terrarum vna hæc implenti familia. Quadraginta prouincie, quibus Minoritarum nomen est***

Enneadi  
9. lib. 5.  
ad fin.

Enneadi  
9. lib. 5.

inertam,



inferum, in custodias diuiduntur. Custodiae, quae multae sunt numero in conuentibus, & loca, in quibus inuicatorum hominum sunt hodie ad sexaginta millia. Saepè, hoc audiri, Magistrum ordinis polliceri quandoq; ausum, Pio Pontifici Maximo expeditionem in Turcas parari, ex Seraphici Francisci familia triginta bellatorum millia, qui bellica munera nauiter obire possent, nihil sacrorum cultu interpellato. Hæc ille. Et cum Ordo Franciscani instituti sit in tot membra dispersitus, vnum eorum, quod Observantium vocant, proximis annis centum, ferè mille Religiosorum numerum confecisse fertur.

Secundo quaeritur, Quot Ordines Monastici numerentur? Respondeo, per orientem multa esse Monachorum Cœnobia, quorum omnia Sancti Basilij Regulam profitentur, quamvis aliqua ipsius Pauli Eremitæ, vel Antonij nomine nuncupentur. In Occidente post Monachos, qui sub Augustini in Africâ, & Simpliciani in Italia, & Martini in Gallia disciplina vixerunt, floruit S. Benedictus, qui Regulâ Monasticæ vitæ se constituta, omnium ferè totius Occidentis Monachorum fuit patris, auctor, & institutor. Ipse in Cassinate monte Cœnobio fundato, momèto ferè tēporis duodecim monasteria in Italia cōstituit. Immo alias etiam Colonias extra Italiam deduxit, & transtulit. Nam per Maurum in Gallia, per Placidum in Sicilia monasteria extruxit. Trithemius de *visis illustribus Ordinibus Benedictini lib. 1. cap. 2.* narrat, fuisse in hoc ordine Abbacias, Præposituras, Prioratus, & Sanctimonialium cœnobia quindecim millia, c. 5. refert, ex hoc ordine fuisse summos Pontifices Romanos, decem, & octo: videlicet Gregorium 1. Bonifacium 4. Adeodatum, Agathonem, Stephanum 3. Leonem 4. Leonem 5. Syluestrum 2. Stephanum 9. Gregorium 7. Victorem 3. Urbanum 2. Paschalem 2. Gelasium 2. Anastasium 4. Adrianum 4. Clementem 6. Urbanum 5. dicit fuisse Cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ centum octoginta quatuor. Archiepiscopos, mille centum sexaginta quatuor. Episcopos, ter mille quingentos duodecim: & hos omnes fuisse ante Concilium Constantinense, quod celebratum fuit anno salutis humanæ 1417. ca. 4. ait numerum eorum, qui sunt inter sanctos relati, & ascripti vsq; ad tempus Ioannis 22. fuisse quindecim millium, quingentorum, quinquaginta nouem. Ex hoc ordine multæ aliæ Monachorum Familiæ prodire. Quarum primâ, & antiquissima fuit Cluniacensis in Gallia, quæ anno Domini nongentesimo decimo tertio, ab Odone Cluniacensi Abbate initium sumpsit, & nomen. Hinc enim Benedicti disciplinam, & Regulam magna ex parte laxatâ, & collapsam ad pristinam regulam reuocauit, cuius exemplum plures Abbates secuti, in Gallia, Italia, Germania, Gallia, & Hispania, suas quoq; familias ad veterem Monasticæ vitæ formulam reduxerunt, tanto fructu, vt duo millia cœnobiolorum ad pristinam cœnobiticæ vitæ rationem restituta, & reducta referantur.

Ex eodem S. Benedicti Ordine, orta est Camaldulensis familia auctore Romualdo Rauennate viro Sanctissimo, qui circa annum millesimum, nongentesimum, sexagesimum septimum, in ipso Apennino sedem sibi ad monasticam vitam, & disciplinam seruandam, & pœnitentiam peccatorum agendam delegit: ac tot Cœnobia ad illius

Regulam, & disciplinam ædificata sunt, vt penè nouus Ordo esse credatur. Priuilegio Pontificio post ipsius Romualdi obitum eam Familiam anno Domini Millesimo septuagesimo tertio Alexander Secundus confirmauit: quæ tamè sub Romualdi disciplina circa annum millesimum florere cœperat, perpetuum silentium seruant præterquam bis in Hebdomada: à Carnibus abstinent, nisi cum morbo laborant, vtuntur amictu albo: duodecies ad annum simul edunt.

Simili propemodum ortu, & initio excitatus est, & amplificatus in Italia Ordo, qui Vallis Umbrosæ appellatur, Camaldulensi recentior annis tantummodo, secundum aliquos septuaginta tribus. Huic initium dedit Gualbertus Florentinus, qui inimico, quem in sui potestate habebat, per Christi mortem, quæ eo ipso die colebatur, salutem deposcenti, non solum pepercit, sed etiam vitrò eum amplexatus fratris loco, quem is occiderat, accipere se dixit: tantopere id factu Deo acceptum, & gratum habuit, vt eo statim proximam sacram ædem S. Miniatis ingressus lignea Christi in Cruce pendens imago, ad quam supplex orabat, quasi ei ad blandiens, caput inflexit: qui Religiosæ vitæ amore, & studio permotus, in S. Miniatis Cœnobio, quod tunc Cluniacenses Monachi incolebant, Religionis vota Deo nuncupauit, postea Eremiticæ perfectionis ardenti cupiditate incensus ad S. Romualdum se contulit: & cum sub eius disciplina Eremitici rigoris institutum aliquamdiu coluisset, in Valle Umbrosæ, humili quidem, & obscuro per id tempus loco, monasterium extruxit, & se suosque socios legibus vitæ Eremiticæ seuerioribus Deo obligauit, vnde Congregatio Monachorum Vallis Umbrosæ profecta, & aucta est ita, vt in varia quoque membra fuerit distributa, & eam Alexander Secundus anno 1070. primis suis priuilegijs cōprobauit. Quamquam alij asserunt hunc Ordinem institutum esse, anno Domini, 1035. & confirmatum anno 1076. auctoritate Victoris. 2. Primum Ordo gubernabatur per Abbatē perpetuum. Ab anno 1540. gubernari cœpit per triennem Præsidentem. Aiunt in hoc ordine fuisse prouincias octo: monasteria 35. sub quibus est Magnus Prioratus numerus. Monachi dicuntur esse 400. Sanctimonialiales 800.

Carthusiensium Ordo circa annum millesimum octogesimum quintum paulò ante Cisterciensem Familiam, nimirum sedecim annis institutus fertur à S. Brunone Colonensi Theologo, & Canonico Rhemensis, cuius Ordinis initia sunt satis omnibus nota. Arctissimum vitæ institutum sectantur; perpetuò à carnibus abstinent, etiâ cum morbo tenentur: silentium perpetuò seruant, vno tantum die in Hebdomada excepto: cilicium carni proximum semper gestant: in choro diutissime cantant. Aiunt in Ordine esse Prouincias 16. Monasteria 189. in quibus habitare dicuntur Monachi circiter 3200.

Cisterciensis quoque Familia ex Benedicti ordine manauit, ac fluxit. Anno millesimo, & nongesimo octauo, Robertus Molimensis Cœnobilij Abbas, cum subditos suos, præ diuitijs, & rerum copia a primo instituto degenerare cognosceret, consilio cum aliquot ex illis communicato,



vno, & viginti socijs assumptis Cabilonem se cōtulit, præcipuam eo tempore Burgundiæ urbem, & in solitario quodā loco, cui Cistercium nomē erat, sedem, ac domicilium collocavit: quod ideo est Cisterciense appellatum. Sed interea Molifmensis Monachi poenitentia ducti, Robertum multis precibus reuocarunt: & is ad pristinam sedem, & Cœnobium se retulit, in cuius locum Cistercij, Stephanus successus est, qui fuerat illius secessionis auctor. Quindecim deinde annis exiit Bernardus, Dei nutu ad Stephanum venit, & in Cisterciensi Cœnobio cum triginta Socijs se se Monasticæ vitæ addixit. Bernardi verò mira virtute, & sanctitate, ita est Ordo Cisterciensis auctus, vt dimissis in totum terrarum orbem Monachis, & alumnis, centum sexaginta monasteria viuens ipse Bernardus extruxerit. Ex hoc Ordine tres Romani Pontifices prodierunt, Eugenius 3. Benedictus 12. Clemens 6. Sicut ex Ordine Cluniacensi tres alij Pontifices Romani, extitisse perhibentur Gregor. 7. Urbanus 2. Callistus 2. Et quia vterque Ordo Cluniacensis, & Cisterciensis S. Benedicti regulam seruat, ideo ij Romani Pontifices, qui ex vtroq; ordine assumpti, & electi sunt, dicuntur etiam ex Ordine S. Benedicti delecti. Et hinc factū est, vt Trithemius solum numeret duodeviginti Romanos Pontifices, ex S. Benedicti ordine creatos, cum tamē alij referant viginti quatuor, alij vigintiocto, alij triginta. Nā præter eos, quos recenset Trithemius, alij numerant Benedictum. 1. Pelagium. 2. Leonem. 2. Gregorium. 2. Gregorium. 3. Paschalem. 1. Gregorium. 4. Sergium. 4. Ioannem. 19. vt mirum nō sit, quod dicitur, Romanam Ecclesiam gubernatam fuisse per trecentos annos, à Pōtificibus ex S. Benedicti ordine assumptis: immo quidam aiunt per quingentos annos id factum fuisse.

Ordo Grandimurensis sub Regula S. Benedicti inchoatus est à Stephano Aruerni, viro nobili apud Lemouicenses, qui ipse Ordinis primam Sedem, & domicilium in quodam monte fixit circa annum millesimum septuagesimum sextum, & inde toti familiæ nomen est datum.

Ordo Humiliatorum sub Regula quoq; S. Benedicti, coepit circa annum, millesimum centesimum nonagesimum sextum. Henricus 1. ad Imperij fastigium euectus graue bellum Mediolanensibus intulit, & Vibe solo æquata, Senatorij Ordinis Ciues, & nobilissimos quosq; viros in Germaniam relegauit. Porro exules albis induti vestibus sæpius Cæsarem genuflexu supplices rogauerunt, vt in patriam redeundi liberam ipsis facultatem concederet: quod cum demum impetrassent, nobilissimi viri, eodem amictu vestiti Deo, summa quadam pietate accensi, Mediolani sese votis obligarunt; nec vllam rem publicam, aut priuatam attingentes, vni Religioni diligenter studentes, & victum suis manibus quærentes, vitam Sanctæ, & Religiosæ traduxerunt. Eorum Congregationem nomine Humiliatorum Innocentius Tertius auctoritate Apostolica confirmauit: Sed totum Ordinem Pius Quintus deleuit, & annuos eius proventus in alios vsus destinauit. Nam quidam eius Ordinis Monachi coniurati in Caroli Borromæi Cardinalis, & Archiepiscopi Mediolanensis necem, ob nefariū scelus condem-

nati sunt, & anno millesimo quingentesimo septuagesimo, auctoritate Pōtificia extinctus est Ordo: cuius præposituræ erant nonaginta quatuor, quarum annui proventus triginta millium aureorum summam efficiebant: porro in toto Ordine Monachi erant ceterum septuaginta quatuor, quos ex ipsis facultatibus distributis in victum Monasticum sustentari Pontifex iussit, & in Religiosa disciplina Episcoporum cura contineri: deletus est optimus olim Monachorum Ordo, & tale edidit Pius exemplum neglectæ disciplinæ vindicandæ, vt cæteri discant sibi diligentius cauere, & susceptæ, ac voto promissæ vitæ Regulam studiosius tenere.

Ordo Præmonstratensis, sub Regula S. Augustini, anno millesimo centesimo decimo sexto initium habuit à Norberto viro nobili Lotharingo, secundum aliquos, Paschalis secundi, secundum alios Innocentij secundi, auctoritate approbatus.

Ordo Guelmitarum, qui nomine montis Virginis appellantur, institutus est à Gulielmo Vercellensi, viro nobilissimo. Hic Virgilanum montem petiit, & ibi per aliquot annos sanctissime vixit, & postea Oratorium B. Virginis Dei Genitrici extruxit, ad quem multi Sanctitatis fama, & opinione per moti, conuenerunt. Et ipse sub S. Benedicti regula, Ordinem instituit anno Domini 1124. quem ordinem Alexander 3. sua auctoritate confirmauit. Dilatarus est Ordo per Italiam: sed nunc in solo regno Neapolitano viget. Generalis Ordinis Præfectus est triennalis. Monasteria Ordinis dicuntur esse 47. in quibus habitant Monachi circiter. 500.

Ordo Syluestriorum sub regula S. Benedicti viuunt: Institutus est, à B. Syluestro, qui fuit Monachus Vallis Vmbrosæ. Initium habuit anno Domini 1132. Confirmatus est ab Innocentio 4. anno 1258. Olim hic Ordo dicitur fuisse subiectus Ordini Vallis Vmbrosæ: nunc gubernatur cura vnius Generalis præpositi, qui primum coepit esse perpetuus, sed nunc triennalis est. Viget hic Ordo in prouincijs Marcha Anconitana, Vmbria, Thufcia. Dicitur habere monasteria 25. in quibus habitant Monachi circiter. 300.

Cælestiorum Ordinem Petrus Moronius Iheroniensis Eremita instituit. Hic primo in solitudine multos annos egit: deinde cum illa vitæ asperitas eū crebris miraculis conuicta, eius famam per totam Italiam vulgasset, in gens ad eum hominum numerus sese adiunxit: ita vt plura sine domicilia extructa. Eū Ordinem Gregorius Decimus sua auctoritate comprobauit anno millesimo ducesimo septuagesimo quarto. Dicitur est autem Ordo Cælestiorum, quia Petrus ille eius institutor viginti post annis ad summū Pontificatum electus Cælestini Quinti nomen accepit. Vnde id nomen toti eius familiæ impositum mansit. Monachi nigro amictu vtuntur, cum in publicum prodeunt.

Ordo Oligetanæ Familiæ sub Regula quoque S. Benedicti viuunt, ac militat: albo vtitur amictu: cura vnius Generalis Præpositi, siue Abbatis gubernatur, qui triennalis est: cœnobicia habet tantum in Italia. Huius Ordinis autor fuit Bernardus Prolomeus Senator nobilissimus Seræsis, qui vnā cum alijs duobus socijs Ambrosio Picholo-



mineo, & Patrio, æquè nobilissimis Senatoribus, quos luculenta oratione in Senensi academia ubi Philosophiam publice profitebatur, ad vitam Religiosam studium incenderat, extra hominum frequentiam, sese in propinquum montem contulit, qui Oliuetum dicebatur; ubi Ordo ipse Oliuetanus initium sumpsit anno millesimo trecentesimo vigesimo, postea anno Domini 1371. Greg. II. auctoritate Apostolica comprobatus.

## Caput XXII.

## De Ordine Canonico Regularium.

**P**rimo queritur, Quenam fuerit Canonico Regularium origo. Possidonius Episcopus Calamentis S. Augustini discipulus in vita ipsius Augustini, ca. 5. sic ait. *Fallus ergo presbyter, monasterium intra Ecclesiam mox instituit: & cum Dei seruis vivere cepit secundum modum, & regulam sub sanctis Apostolis constitutam, maxime, ut nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia, & distribuere ut unicuique, prout cuique opus erat. Et c. 11. proficiens, inquit doctrina diuina, sub sancto, & cum sancto Augustino, in monasterio Deo seruientes Ecclesie Hispanensi, Clerici ordinari ceperunt, & deinde innotescere, & clarificare, de die in diem Ecclesie Catholice, predicationis veritate, sanctorumque seruorum Dei proposito, continentia, & paupertate profunda, ex monasterio, quod per illum virum venerabilem, & esse, & crescere cepit, magno desiderio posere, & accipere Episcopos, & Clericos, pax Ecclesie, atque vniuersas, & capit. primo, & postea conuenientia est. cap. 31. ait. Clerum sufficientissimum, & monasteria virorum, ac seminarum continentium, cum suis Preepositis plena Ecclesia dimisit. Hæc Possidonius.*

Ex his, & al. j. similibus verbis Vincen. in speculo Histor. lib. 26. ca. 51. accepit id, quod scripsit in hunc modum. *Ordo Canonico, qui primo ab Apostolis, postea ab Augustino regulante fuit institutus, cepit florere in Ecclesia Sancti Quirini Beluacensis, sub venerabili, & sancto Iuone, eiusdem Ecclesie Preeposito, & postea Carotenensi Episcopo. Eadem ferè habet Antoninus part. 2. hist. tit. 9. cap. 8. §. 2. & 3. Et Vincen. lib. 19. ca. 4. aperte testatur Augustinum scripsisse regulam, & institutionem Clericorum Regularium, qui etiam dicuntur Canonici Regulares. Vnde Volater. lib. 22. commen. in Anthropologia ait. Valerius presul. Hispanensis, Augustini audita fama ad se accessit, in loco abstinentie commodo extra urbem constituit, ubi annos tres, cum socijs agens coadunus est ciuium quotidie accedentium importunitate locum mutare, ac quendam montem aditu difficiliorem petere, ubi tugurium, inter saxa vilissimum, separasque a cæteris fecerat. Hic librum scripsit de vita Monachorum, & quedam alia. Reliqui vero socij eum iactu fundæ remoti circumjlebant. Post hæc visum est Valerio illum ad se accedere, presbyterumque creare, simulque vnâ Presulem, & coadiuorem officij constituere, quod esset eloquio prestant, & virtutibus clarum. Augustinus igitur ægre huiusmodi sumpta prouincia, ante omnia vitam in ea instituit Canonico Regularium, qui vita degerent communi ab Apostolis primum ordinati. Hæc ille.*

Ex his omnibus Augustinus Ticinensis Canonico Regularis in Propugnaculo Ordinis Canonici part. 1. cap. 1. 2. 3. & 14. & part. 5. in confirmat. 14. Et ex Doctore Parisiensi Rolando in lib. de Religione Ecclesiasticæ. Et ex Ioanne de Deo Doctore Hispano in lib. de dijsenfat. Et ex Ioanne de Nigra valle Sedis Apostolicæ,

Bibliothecario in sua Chronica, quam vocauit Epilogum Chronicarum, colligit hanc Conclusionem. *Ordo Canonico inter omnes Ecclesiasticos ordines primatum tenet antiquitate, doctrina, regimine, nobilitate, & Sanctorum numero. At contra, Choriolanus Prior Generalis Eremitarum Augustinianorum Apologiam edidit, quam inscripsit, Defensorium sui Ordinis, contendens, probare Ordinem Eremitarum Augustinianorum, qui vtuntur veste nigra, & cingulo ex corio facto, esse inter omnes ordines Regulares, primum. Tota hæc lis, & controuersia consistit in hoc, an in secundo monasterio S. Augustini, cum presbyter, non Episcopus erat, Regulam Canonico composuerit, & tradiderit Eremitis, an verò eam composuerit in tertio Monasterio, cum iam Episcopus creatus erat, & tradiderit Clericis Regularibus. Choriolanus, & Eremitanæ Augustiniani, censent Regulam esse editam a S. Augustino in secundo monasterio, siue Cœnobio, & tradidit Eremitis Fratribus. Augustinus Ticinensis, & Canonici Regulares sentiunt esse compositam in tertio monasterio, & traditam Clericis Regularibus, qui dicuntur Canonici Regulares. De qua lite nihil est, quod ego iudicem.*

Secundo queritur, Vnde & quare dicitur sint Canonici Regulares? *Vides in Annotationibus in libros S. Augustini de ciuitate Dei, lib. 3. cap. 15. Canonico Regulares nominis ambitioni accutare videtur, quasi bis hoc vocari velint nomine, ne non semel putentur Regulares cum idem prius Canonici, & Regulares significant. Quidam alij irrident quod Canonici Regulares vocentur, quia Canonico idem est, qui Regularis, sed Couarr. in Clement. si religiosus, de homicidio p. 1. num. 1. hos rectè confutat, quia ius Canonico in c. quod Dei timorem, & cap. in singulis. §. hoc ipsum, de statu Monachorum. Canonico regulares appellat. Sciendum est, Clericos, qui Apostolorum regulam sequuti, nihil proprium habentes, communem vitam agebant, & in eadem domo simul cibum sumebant, somnumque capiebant, & deinde in Ecclesiam conueniebant ad Ecclesiastica officia obeunda, dictos fuisse Canonico, hoc est, Regulares, quippe, qui Canonem, videlicet regulam Apostolorum seruabant, qua appellatione, & nomine discernebantur ab ijs Clericis, qui proprium habentes in suis domibus habitabant. Quando verò ceperint Canonico dici, incertum mihi est: quidam aiunt, temporibus Pelagij: 1. & Gregorij magni eos Clericos Canonico vocari Nam in Concilio Turonensi. 2. quod celebratum est tempore Pelagij 1. can. 20. legitur. Pro qua re hoc piacuit obseruare, ut quotiescunque Archiepiscopus seu in vico manserit, seu ad villam suam ambulauerit, vnus Lector Canonico suorum, aut certus aliquis de numero Clericorum cum illo ambulet. Et in c. Dudum. 18. q. 2. ex Gregorio Magno refertur. Nec illi viterum habeat potestatem aliqua, nec monasteria huius occasionis velamine, easque prohibemus, simul cum Canonico, & Monachis in Ecclesia iustitiam onera compellantur. Quidquid sit, dubitari non potest, quia in Concilio Arelat. 4. Turon. 3. Cabilon. Mogut. Aquisgranensi, quæ celebrata sunt temporibus Caroli Magni, & Ludouici Pij in Gallia, frequens sit mentio Canonico, qui, vt ex eisdem Concilijs constat, in eadem communi domo habitabant, ad eandem m-*

tam ede-



sam edebat, in eadem domo somnum capiebant, & communem victum habebant. Postea Canonici quidam non solum vitam communem debebant, sed tria vota Religiosorum Monachorum ritu, & more facere ceperunt, & tunc huiusmodi Canonici vocati sunt Canonici Regulares; Canonici quidem, quia Apostolorum Canonem, & regulam tenebant in commune sua bona conferendo: Regulares vero, quia instar Monachorum tria vota faciebant, & se Deo arctius obligabant, quam ceteri Canonici. Et proinde Canonici duplices esse ceperunt: nam alij dicebantur Canonici seculares, alij Regulares: seculares, quia licet Apostolorum regulam tenebant, nihil proprium habentes, nullo tamen Religiosorum instituto astricti, tribus Monachorum votis soluti, ac liberi erant, & proinde seculares dicebantur, ut distinguerentur ab ijs, qui tribus religionis votis astricti vitam arctiorem profitebantur. Hinc autem non colligitur, quod docuit Erasmus Clericos, quibus S. Augustinus regulam dedit, non consueuisse tunc temporis tria religionis vota facere, sed solum in communi domo habitare, communi mensa vti: nam licet illi Clerici tria vota emittebant, postea vero successerunt alij alijs temporibus, qui solum in eadem communi domo nihil proprium possidentes habitare voluerunt, sed liberi, & soluti Monachorum seu Religiosorum votis, & ideo dici ceperunt Canonici seculares.

Tertio queritur, Quinam Ordinem Canoniorum Regularium instituerint, & renouauerint? Anno salutis humanæ 1080. sub Gregor. 7. vt testatur Volterra. lib. 21. instituitur ordinem Canoniorum Regularium suo in Ecclesia S. Quintini Beluacensi, qui fuit eiusdem Ecclesie Præpositus & postea Episcopus Carnotensis, quique post Isidorum fuit Decretorum collector.

Eodem tempore per Galliam idem Canoniorum Regularium Ordo florere cepit sub Arnulpho Abbate, & Episcopo Lugdun. vt refert Naucl. vol. 2. Chron. gener. 37.

Eundem Ordinem reuocauit, teste Volterra. no Frigidianus Episcopus Lucen. per Tusciam, & vniuersam penè Italiam.

Anno itè, vt refert idem Volterrano, redemptionis humanæ 1401. autore Leone cognominato de Carate, ciue Mediolan. Canonico Regulari orta est apud Cœnobium S. Marie de Frigionaria in Diœcesi Lucensi Congregatio Canoniorum Regularium, quæ dicta est Congregatio Frigionaria, & postea iussu Eugenij 4. cuius auctoritate est approbata, vocata fuit Lateranensis Congregatio.

Anno Christi Domini. 1410. coepit alia Congregatio Canoniorum Regularium: Hanc fundarunt Stephanus, & Hieronymus viri Senenses Eremitæ Augustiniani: hi enim cum alijs paucis Greg. 12. approbante ad eam S. Saluatoris in Scopeto prope Florentiam migrarunt: & ibi cœnobium extruxerunt, vnde dicta est Congregatio Scopetina seu S. Saluatoris: teste Volterrano vtuntur veste alba, Scapulari item albo, & tunica alba linea. Cum prodeunt in publicum, & incedunt per urbem atsumunt pallium nigrum, quo teguntur. Quadragesima per Italiam Conuenus habent.

Est & alia Congregatio, teste eodem Volter-

rano, Iulij 2. auctoritate confirmata, quæ nomine S. Petri de monte Corbulo, in Florentina Diœcesi appellatur. Cuius Congregationis Clerici hospitalitatem colunt, & pullum, ac humilem cucullum lineis, crassisque tuniculis super induunt. Hæc Volterrano lib. 21.

Est & Congregatio Canoniorum S. Gregorij in Alga Venetij, quam illustrauit B. Laurentius Iustinianus, & Eugenius 4. Canonici vtuntur amictu carulei coloris.

Quarto queritur, Quomodo propagatus sit Ordo Canoniorum Regularium. Volterrano lib. 21. in Anthropol. ait. Hunc ordinem propagatum, & auctum fuisse, & ex eo exstitisse triginta sex Romanos Pontifices, Cardinales trecentos, & plures viros Sanctitate vitæ claros, & in Sanctorum numerum ascriptos, septies mille, & quingentos. Et postea numerat Romanos Pontifices, Gelasium 1. Leonem 8. Alexandrum 2. Paschalem 2. Lucium 2. Alexandrum 3. Innocentium 3. Honorium 3. potuit his etiam adiungere Anastasium III. Hadrianum III. Augustinum Ticinensis in suo propugnaculo Ordinis Canonici part. 1. capit. 1. 2. 3. & 14. & part. 5. confirmat. 14. scribit: Ex Ordine Canoniorum Regularium fuisse Romanos Pontifices, quinquaginta quatuor, Cardinales S. Romanæ Ecclesie, mille quingentos sexaginta septem. Viros, qui sunt in Sanctorum numerum relati, fuisse ducentos ultra sedecim millia. Et Ecclesiam Romanam, inquit, gubernauit hic ordo per annos quingentos, & lex. Penes hos auctores, quos nominauit, sit fides, ego nec probo, nec improbo. Onufrius Panuinius in libello de septem Ecclesijs Vrbis, scribit in hunc modum. Gelasius Primus, circa annum Domini 400. constituit in Ecclesia Lateranensi Clericos Canonicos, qui seruabant Regulam Apostolorum nihil proprium habentes, sed in commune iuxta regulam Sancti Augustini viuentes. Postea Gregorius III. posuit Monachos in Ecclesia Lateranensi, vt in ea preces quantitate cantarent. Deinde Monachis deficientibus, iterum sunt in eadem Ecclesia Clerici Canonici constituti, qui more Monachorum religiosum vitam institutum seruabant: & Priori, loco Abbatis parebant, & in communi domo habitabant. Et ex hoc Lateranensi Canoniorum regularium Monasterio fuerunt Romani Pontifices Alexander II. Urbanus II. Paschalis II. Honorius II. Innocentius II. Alexander III. Innocentius III. Honorius III. Et durauit inquit Onufrius, Lateranense Canoniorum Regularium Monasterium octingentos annos vsque ad Bonifacium VIII. qui anno Domini 1300. exclusis è Monasterio Canonicos Regulares, posuit in eo Canonicos seculares.

Quinto queritur, In quibus conueniant Canonici Regulares cum Monachis. conueniunt primo, quia utriusque tria vota religionis emittunt. Secundo, utriusque prohibentur Leges, vel Medicinam audire, iuxta id, quod statutum est in cap. Super specula. Ne Clerici, vel Monachi. Hoc enim ius, vt testatur Glossa in cap. Quod Dei inuocem, in verbo, Laxiori, De statum Monachorum, locum habet in Canonici Regularibus, perinde, atque in Monachis. Tertio, utriusque ab Aduocati officio iure ipso repelluntur secundum id, quod habetur in cap. Ex parte, de postulando. Quarto, utriusque in vna domo habitare, ad mensam communem edere, & sub eodem tecto dormire iubentur, vt colligitur ex cap. Quoniam, de vita, & honestate. Cleric. & ibi docet Glossa. Quinto, utriusque

prouin-



provincialem Conuentum, quod dicitur Capitulum, celebrare iure coguntur, *vt colligitur in cap. In singulis. De statu Monachorum.* Sexto, in Canonicis Regularibus locum habet perinde, ac in Monachis ea pars Clementinae, *Ne in agro, De statu Monachorum. §. Sane singulis,* quae sic habet. *Sane singulis mensibus tam in monasterijs, quam extra sublata occasione quacunque ad confessionem saltem semel accedant omnes, & singuli Monachi: & in prima Dominica mensis cuiuslibet, in monasterijs semper communicent, nisi ex causa forte, quam Abbat, Prior, aut Penitentiarius monasteriorum non differant intromittere: eorumque iudicio, vel abstineant, vel accedant.* Regula quoque, cum in capitulo legitur ab illo, qui praest, vel ab alio, cui hoc ipse intinuerit propter iuniores vulgariter exponatur. Nouitius etiam fidelis deputetur instructor, tam in diuinis Officijs, quam in obseruantia regulari. Haec omnia vim, & locum habent in Canonicis Regularibus, ait Oldradus *conf. 222.*

Sexto quaeritur, In quibus Canonici Regulares distinguuntur à Monachis. Respondeo in primis cum Glossa, & Abbate in *c. Quod Dei timorem, De statu monachorum, in ijs,* quae ad poenas, & odia pertinent, appellatione monachorum non contineri Canonicos Regulares. Secundo differunt, quia *vt habetur in eodem capite, Quo Dei timorem,* Canonici regulares laxiorem regulam tenent, & profitentur. Vnde ait S. Thomas 2. 2. *quest. 159. art. 8. ad 2.* Monachus ad Canonicos regulares iure transire non potest. Et Canonici regulares potest ad Monachos iure transire petita facultate à Superiore, licet non obtenta, *vt colligitur ex cap. Licet, De regular. Nec obstat, quod habetur in cap. Nullus, & cap. mandatum. 19. quest. 3.* vbi prohibentur Canonici regulares ad Monachos transire: quoniam, vt Glossa explicat, id locum habet in ijs Canonicis, qui leuitate quadam animi, aut temeritate, aut facultate non petita transeunt. Tertio, plura ieiunia seruant Monachi, quam Canonici regulares. Item, Canonicis interdictum non est carnibus. Praeterea, Canonicorum habitus est vestis Clericorum cum pileo, & tunica alba lineae, absque cuculla, quae est propria Monachorum.

Septimo quaeritur, Quae, & qualia Beneficia habeat ordo Canonicorum regularium. Habet Beneficia Ecclesiastica simplicia, habet Canoniciatus, Abbatias, Praepositorum, Personatus, Prioratus, Officia, Administrationes. Vbi Abbas est, is toti Canonicorum monasterio, siue Conuentui praest. Alicubi Abbates, Praepositi vocantur. Priores sunt in duplici differentia: nam aut est Prior Conuentualis, aut Claustralis. Vbi Abbas est, Prior, qui etiam Abbati subijcitur, dicitur Claustralis. Vbi Abbas non est, Prior, qui vt Abbas toti monasterio, praest, dicitur Conuentualis, & habet sub se Subpriorem, qui est eius Vicarius. Omnia Beneficia sunt regularia; & proinde non nisi regularibus Canonicis professis iure dari queunt, iuxta id, quod habetur in *cap. Officij, de elect. & c. Nullus, de elect. in 6. cap. Possessiones, de reb. Eccl. non alien. qua iura renouauit Concil. Trident. Sess. 14. cap. 10. De reforma.* Item Beneficia vnus monasterij iure non committuntur Canonicis alterius monasterij, *ca. Cum singula. §. Prohibemus, de preben. in 6.*

Octauo quaeritur, Quibus modis Beneficia huiusmodi regularia conferantur. Respondeo, conferri primo per electionem Canonicam, hoc est,

suffragijs Canonicorum, & confirmatione Superioris auctoritate accedente, *vt colligitur ex cap. monachi. §. Priores, De statu monachorum.* Secundo conferuntur auctoritate Superioris regularis, videlicet Abbatis, Praepositi, vel Prioris: haec dicuntur, aut dici possunt Beneficia regularia collatiua, illa electiua: quia electiua instar Beneficiorum secularium, quae electiua dicuntur, dantur per electionem Canonicorum, & confirmationem Superioris. Collatiua vero in modum secularium Beneficiorum, quae vocantur collatiua, simpliciter dantur, vel committuntur Superioris auctoritate. Tertio, dari solent per Canonicam institutionem: cum videlicet Patronus nominat, & offert Canonicum, quem vult, & Superior eum instituit: hoc est, dat Beneficium ei, quem Patronus nominat, & offert. Quarto, conferuntur auctoritate Romani Pontificis qui in *regul. 3. Cancellariae* reseruat sibi Prioratus, Praepositorum, ac alias Dignitates Conuentuales, & Praepositorias generales quorumlibet Ordinum, praeterquam Militarium. Nimirum reseruat sibi, vt ait Mandos. in *regul. 3. Cancell. quest. 8.* omnes Prioratus, & Dignitates Conuentuales, non Claustrales, quia Conuentuales sunt Beneficia perpetua, & electiua; caetera vero Beneficia non sunt electiua, nec dantur in perpetuum, sed ad nutum Abbatis.

Nono quaeritur, An ius conferendi Beneficia huiusmodi regularia, quae electiua non sunt, pertineat simpliciter ad Abbatem, siue ad Praepositum, siue ad Priorem Conuentualem solum, siue Conuentu, siue absque Collegio, vel Capitulo. Duae sunt opiniones: Vna censet, solum ad Abbatem pertinere: sic Abbas in *c. Eanofcitur. De his, quae sunt à Pralatis, sine consen. cap. & probat. ex c. Nullam, 18. quest. 2.* vbi dicitur, ad quem potestas tota pertinere conuenit. Altera opinio docet pertinere ad Abbatem, & Conuentum. Sic Glossa in *cap. vlti. in verbo, pertinet. de regularib. in 6.* Sic Archid. Ioan. Monach. Domini: & Francus ibi: & hanc dicit esse communem sententiam Mandos. in *reg. Cancell. quest. 9. m. 4.* & haec est verior opinio.

Decimo quaeritur, An Beneficia eiusmodi regularia sint Manualia, hoc est, talia, vt ad Superioris nutum Canonicis auferri queant. Respondeo, ius Canonicum statuisse, vt Beneficij Regulares possint ad Superioris nutum reuocari. *Clemen. Quia regulares. §. Praemissa. De supplen. neglig. Pralator. cap. Ad nostram. cap. Porrecta. de confirmat. vlti. vel inuit. & in cap. Cum ad monasterium. §. Tales. De statu monachorum.* Et ad reuocandos huiusmodi Beneficarios non requiritur causa necessaria, sed sufficit causae genus honestum. At vero si fuerint Beneficij per Canonicam electionem Collegij, & confirmationem Superioris constituti, non sunt ad nutum Superioris reuocabiles. Item, Beneficarios regulares nequit Superior nutu suo à Beneficij amouere, quibus Romanus Pontifex scienter Beneficia contulit, aut eos in Beneficij scienter confirmauit. Si quaeras, an etiam Beneficium, cui Superior contulit Beneficium regulare, quod habet curam animarum, possit suo nutu reuocare. Respondeo, posse, quamuis Beneficium sit Parochiale, dummodo sit Regulare, non seculare, vt docent Abbas in *cap. Monachi. De statu monachorum, numer. 3.* Zabarell. in *Clemen. Quia re-*

gulares.



gulares, de supplen. neglig. pr. elar. & Imola ibidem. & Glossa in Clement. Ne in agro. De statu monach.

Vndecimò quæritur, Quid iuris sit de Cōmendatarijs perpetuis, quibus huiusmodi Beneficia in perpetuum, hoc est ad vitam ipsorum commendantur Romani Pontificis auctoritate. Respondeo, Commendam, vt vocant, perpetuam, licet titulus nō sit, haberi tamē pro titulo in multis. Nam primò Commendatarius potest constituere procuratorem ante litem contestatam, sicut potest, qui titulum habet. Secundò, potest Beneficium permutare cū alio Beneficio in titulum dato. Tertio, potest transigere, & dispensare, & impendere; sicut is, qui habet titulum. Nam Romanus Pontifex cum hæc Beneficia commendat in perpetuum, ait in hunc modum in diplomate. Talem N. Abbatiam, vel Prioratum, vel Ecclesiam cum omnibus iuribus & pertinentijs suis tibi auctoritate Apostolica commendamus, per te, quam diu vixeris, & dictam N. Abbatiam, vel Prioratum, vel Ecclesiam obinebis, tenendam, & gubernandam: ita quod durante Commenda huiusmodi, de fructibus, redditibus, & proventibus, ipsius Abbatie, vel Prioratus, vel Ecclesie N. disponere, & ordinare valeas, sicut veri Priores, vel Abbates, vel Beneficij ipsius Abbatie, vel Prioratus, vel Beneficij, qui fuerant pro tempore, ordinare, & disponere poterant, & debuerunt. Et reliqua. Ex quibus verbis constat huiusmodi Commendatarios æquiparari ijs, qui titulum habent. Vnde fit, vt obitu Commendatarij Beneficium vacet, & impetretur, & conferatur, ac si in titulum haberetur. Ceterum Commendatarius non cogitur religionis regulā profiteri, vt cogitur is, cui in titulum Beneficium regulare confertur. Hæc Rebuff. de pacific. possessor. num. 36. Hinc etiam fit, vt Commendatarius possit nominare, offerre, presentare, eligere, & cōferre, sicut is, qui titulum habet, quia hæc iura, sunt fructus Beneficij. **SI QVÆRAS,** quænam qualitas Beneficij iure exprimi debet, cum petitur à Romano Pontifice, vt id commendat alicui in perpetuum. Respondeo, exprimi debere inter alia, num Beneficium, quod petitur, habeat curam animarum. Item, num habeat Cōuentum Monachorum, siue Religiosorum. Item, num sit Beneficium simplex, an lecus. Quoniam si curam animarum, vel Cōuentum habet, residere Commendatarius cogitur, sicut is, qui titulum habet. Item, simul cum alio Beneficio simili haberi non potest. Insuper debet onera, quæ ipsi Beneficio sunt annexa, & imposita sustinere. Pari ratione debet Commendatarius hospitalitatem exercere, sicut is, qui titulum habet, quādo Beneficio annexa est certa quædam hospitalitas. Verbi gratia, est Beneficium regulare, ex cuius fructibus certa hospitalis domus pauperum sustentatur: si in perpetuum commendetur alicui, is cogitur ex fructibus partem impendere in vltus pauperum, qui ad eam domum hospitalem se conferunt, quod si defuerint pauperes, & Beneficio domus hospitalis annexa, debet pars ex fructibus Beneficij impendi in pios vltus. Hospitalitas, inquit Rebuff. in praxi Beneficiorum, tit. de Comm. numer. 15. debita non seruatur, sed tota omittitur: nam quotusquisque Cōmendatarius hospitalitatem se exhibeat, aliorum sit iudicium; quæ tamen plurimum est commendata, vt Glossa, & doctores scribunt in c. de Monachis, de prabendis. Hodie quidam Commen-

datarij tantum abfunt ab hac hospitalitate, vt quæ possunt, à pauperibus eripiant. Vnde quia hospitalitas discessit, successit iudicio Fisci, Decimarum, & aliorum onerum præstatio, vt habetur in c. Maiores. 16. q. 7. Hoc tollit Fiscus, quod non accipit Christus. Hæc ille. Synodus Trident. sess. 25. cap. 8. de reform. omnibus hospitalarijs tam secularibus, quàm regularibus, quibus hospitalia in Commendam, Administrationem, aut quemcunque titulum, etiam per vnionem perpetuam concessa sunt, præcipit omnino, vt impositum illis onus, officium uē administrent, atque hospitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exercent, iuxta Concilij Viennensis Constitutionem, quæ incipit, quia contingit. Deinde præcipit, vt in defectum pauperum fructus hospitalium, in alium pium vltum institutioni proximiorum, ac pro loco, & tempore vtiliorem conuertantur ad arbitrium Ordinarij cum duobus de capitulo. Eaquæ omnia sub grauius pœnis præcipiuntur omnibus, & singulis hospitalium administratoribus, cuiuscunque Ordinis, & Religionis, & Dignitatis fuerint, ijs duntaxat hospitalarijs exceptis, qui illis Regularibus subiiciuntur, vbi viget Regularis obseruantia: & additur maxima exemptionum, consuetudinum, etiam immemorabilium, seu priuilegiolorum, aut indultorum derogatio.

Duodecimò quæritur, An Regularis Canonicus Beneficium sui Ordinis, & Monasterij in titulum possit habere. Quidam censent non posse in titulum habere, quia qui habet in titulum Beneficium Ecclesiasticum, habet quasi dominium in eo, at Canonicus Regularis, cum solemnī voto fuerit paupertatem professus, non potest quasi dominium habere. Item, quia in Clement. de supplen. neglig. pr. elar. Beneficia regularia dicuntur committi; committere verò, non est idem, quod conferre: nam committere, est Ecclesiam ad tempus gubernandam tradere. Dicendum tamen est, in titulum habere posse Canonicum Regularem, quia Superiores cum Beneficium concedunt Canonico, dicere solent, conferimus tibi. Item, quia licet Beneficia regularia sint Manualia, in titulum conferuntur. Insuper, quia quamuis Canonicus Regularis possit Beneficij fructus impendere in vltus bonos, & ipso iure permisso, quos maluerit, impendit eos nutu, & cōcessu Superioris; ac proinde contra paupertatis votum non facit.

Decimotertio quæritur, An Canonicus Regularis, sine Dispensationis Beneficio simul habere possit duo Beneficia sui Ordinis. Respondeo, minime, vt docet Rebuff. in praxi Beneficiorum, tit. de dispensat. cum Regularibus facta, numer. 8. immò nequit cum vno beneficio habere simul Cappellam, aut pensionem, vel portionem regularem. Quodlibet beneficium iure ipso incompatibile censetur in Monacho, vel Religioso cum altero beneficio, iuxta id, quod habetur in cap. Cum singula, de praben. in 6. Et hoc locum habet, etiam si ambo beneficia fuerint simplicia: nisi quando vnum sit annexum alteri, vel pendeat ab altero. Sic Imola, &

Cardinalis in cap. Cum singula, de prabend. in sexto.

(?)



## Caput XXIII.

## De Mendicantium Ordinibus.

**P**RIMO queritur, Quinam in iure Canonico Mendicantium Ordines intelligantur? Respondeo, eos intelligi, quorum Cœnobijis ex regula, vel constitutionibus nequaquam est permittum fundos, prædia, possessiones, annuos redditus, quæ omnia dicuntur bona stabilia, seu immobilia, communiter possidere, sed eorum Religiosi, ex eleemosynis sibi datis, vel ostiatim quaeritis, victum, & alimenta comparant. Glossa in ca. Ex eo, verb. mendicantes, de excess. p. elat. in 6. Mendicantes, ait, dicuntur ij, quibus victum tribuit incerta mendicatas: & qui redditus, aut possessiones ex regula, vel constitutionibus habere non possunt, ex cap. 1. de religiof. domibus, in 6. Sic etiam Glossa in cap. quorundam, de elect. in 6. verb. Mendicantes. Quo fit, ut duo sint Ordinum genera Mendicantium: aut enim sunt Mendicantes ex Regula: aut ex Constitutionibus Romani Pontificis auctoritate approbatis. Mendicantes non ex Regula, sed ex Constitutionibus, sunt Dominicani, Augustiniani, Carmelitani: nam hi potestati sub Regula S. Basilij viuunt, illi verò sub Regula B. Augustini; sed tum Basilij, tum Augustini Regula, liberè permittit, fundos, prædia, & stabilia bona communiter habere. Ipsi tamen Dominicani Constitutiones ediderunt, quibus possessiones, & bona immobilia etiam communiter repudiarent: & se ipsi, quæ ante iam acceperant, penitus abdicarent; & proinde non ex Regula, sed ex Constitutionibus mendicatio cibo viuunt. In primo Capitulo, vt referunt eorum annales, Generali sub B. Dominico Bononiæ coacto anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo B. Dominicus, similiter, ac ceteri omnes Patres in Cœuentum generalem conuocati omnia bona immobilia, quæ vsque ad illud tempus in commune possederunt, abiecerunt; ac ne vltra in posterum haberent, Constitutione posita sanxerunt. Quæ quidem Constitutio postea in alio Generali Conuentu Parisijs coacto, anno millesimo ducentesimo vigesimo octauo confirmata fuit. Augustiniani, & Carmelitani, testibus Lapo, allegat. 46. & Angel. consil. 12. consuetudine tantum in Ecclesia approbata inter Mendicantes censentur. Verius tamen existimo, eos esse ex suis Constitutionibus Mendicantes. At verò Franciscani, qui vulgò Observantes, vel Cappucini vocantur, sunt ex Regula Mendicantes: nam Sancti Francisci Regula prohibet fundos, prædia, possessiones, annuos prouetus, & quælibet alia bona immobilia communiter possidere.

Ex his perspicue intelligitur, non esse Ordines Mendicantes, eos, qui tametsi pane mendicatio viuunt, sed ex Regula, & Constitutionibus bona immobilia in commune habere queunt. Rursus verò Ordines Mendicantes sunt, qui quamuis ex privilegio stabilia bona communiter possideant, ex Regula tamen, vel Constitutionibus ea habere nequeunt: nam eo ipso, quod vnū privilegio tollitur, non aufertur, & aliud, vt dicitur in l. Si domus, ff. De seruitutibus urbanorum prædiorum, & cap. Ex taurum, De auctoritat. & vsu pallij.

Secundò queritur, Quot sint Ordines Mendicantes? Respondeo, in iure communi quatuor

nominari. Nam cap. Religionum, De religiof. domibus, in 6. s. Sanè, numerantur Prædicatorum, Minorum, Augustinianorum, & Carmelitanorum Ordines. Et similiter in Constitutione Pij Quinti, quæ incipit, Romanus, recensentur quatuor Ordines, nimirum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum. Iure nouo alij Mendicantes Ordines sunt Romani Pontificis auctoritate approbati: nam Pius Quintus in quadam Constitutione, cuius initium est, Apostolica, declarat, Ordinem Minorum S. Francisci ex Paula oppido Calabria oriundi inter Ordines Mendicantium verè comprehendi, & eorum privilegijs gaudere: & in alia, cuius initium est, Romanus, definit, Congregatione Fratrum S. Hieronymi, qui Iesuati vocantur, verè inter Medicantium Ordines esse, & contineri, ac eorum privilegijs potiri: & in illa, quæ primo loco nominat, cuius quoque initium dixi esse, Romanus. Postquam cõmemorauit quatuor Ordines Mendicantium, Sancti Dominici, videlicet, S. Francisci, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum, subiecit hæc verba: Et quos etiam recenseri volumus, Seruorum B. Mariæ. Quorum Ordinem declarat verè inter Mendicantium Ordines comprehendi. Aliam similiter Constitutionem edidit, qua declarauit Ordinem Societatis Iesu inter Mendicantium Ordines connumerari debere.

Tertio queritur, Qualis Ordo sit inter quatuor Mendicantes Religiones iure communi antiquo approbatas, quænam scilicet præcedat alteram in publicis disputationibus, concionibus, supplicationibus, & alijs huius generis actionibus. De qua re innumeræ, testibus Felino, & Cassaneo fuerunt hæcenus disputationes, dum alij vnum Ordinem alteri præferunt ratione institutionis, alij verò ratione Pontificiæ approbationis. Respondeo, iure communi inter eas talem ordinem seruari, quali in ipso iure Canonico nominantur. Nam in testamentis, legatis, fideicommissis ordo scripturæ seruandus, & sequendus est. l. Quosies ff. De usufructu. & l. Generaliter. §. Si quis ergo. ff. De fideicommissis. liber. & Glossa ibidem. Et annotauit Glossa, cap. Cum dilecta, verbo, Transponentes, de rescrip. Scripturæ ordinem esse seruandum in rescriptis principum: ergo scripturæ ordinem sequi debemus in iure positum, quoniam sicut ordo verborum in legatis, fideicommissis, & testamentis testatoris indicat voluntatem, sic in rescriptis principum, & legibus, ac constitutionibus ostendit voluntatem legislatoris, & principis. Sic Archidiaconus Ioan. Andreas, capit. 1. de deci. in 6. Felinus in rubric. de maioribus. & obediens. Porro in cap. Religionum, paulò antecitato memorantur primo loco Prædicatores; secundo, Minores; tertio, Augustiniani Eremitæ; postremo, Carmelitani. Et quoties in iure Canonico, vt annotauit Glossa, Prædicatores, & Minores simul ponuntur, primi nominantur Prædicatores, vel in cap. Constitutionem, De regularibus in 6. & cap. Nimis praua, De excessibus Prælatorum, cap. Inijs, de Priuileg. cap. Quorundam, De elect. in 6. cap. Cum ex eo De excessibus Prælat. in 6. c. Religionum, De religiof. domib. in 6. & Clemens. Dudum, De sepulch.

QUÆRES, An quatuor huiuscemodi Religiones eo Ordine sint institutæ, & fundatæ, quo in iure Canonico referuntur, & nominantur.



*Call. in Catal. Glorie mundi, part. 4. confid. 71.* scribit inter Mendicantes præferri debere Carmelitanos, quia eorum institutio fuit cæteris ordinibus antiquior. *Glossa in cap. Quorundam, De elect. in 6. verb. Mendicantes.* Præponit omnibus Prædicatores Dominicanos. Sic Ioan. Andr. Archidiaconus & Felinus *locis citatis.* Respondeo, eas Religiones non eo ordine, quo in iure communi numerantur, institutas fuisse. Nam in *cap. Religionum, §. Sanè, De religiof. domibus in 6.* aperte dicitur Ordines Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum ante Generale Concilium Lateranense sub Innocentio Tertio coadum institutos fuisse, cum tamen Dominicanorum, & Franciscanorum Ordines, aut post illud Concilium, aut saltem sub id temporis fuerint constituti. **DUBITABIS**, unde factum sit, ut in iure Canonico is Ordo, quem superius assignauimus, in nominandis Religionibus obseruetur? Respondeo, hac in re Pontificiæ, & Apostolicæ approbationis, quæ illæ obtinere, potius, quam earum institutionis habitam esse rationem. Dominicanorum enim Ordinem Honorius Tertius initio sui Pontificatus scripto publico confirmauit, anno Domini millesimo ducentesimo decimo sexto. Deinde verò anno millesimo ducentesimo vigesimo tertio S. Franciscus ab eodem Pontifice sui Ordinis approbationem scripto solemniter impetrauit, quam tamen ante S. Dominicum, Innocentij Tertij beneficio obtinuerat anno salutis millesimo ducentesimo decimo. Sed quia eam confirmationem viuò tantum Pontificis oraculo, non scripto diplomate acceperat: ideo Dominicani instituti familia prior in iure Canonico recensetur, ac nominatur. Postea ab Alexandro Quarto Eremitarum S. Augustini Ordo solemniter scripto traditam approbationem impetrauit. Tandem ab Honorio Quarto Carmelitarum Ordo longè ante institutus, publicè est confirmatus, ut statim dicemus.

**Quarto quæritur**, Cur ex eo vnus Mendicantium Ordo antecedit alterum, quod fuerit prius solemniter, & publico scripto, aut diplomate Romani Pontificis approbatus, & non quod fuerit primum institutus. Respondeo, approbationis rationem haberi potius, quam institutionis. Etenim in *cap. Religionum*, sæpè citato perspicuè traditur institutionem Augustinianam, & Carmelitanam familiæ ante Generale Concilium Lateranense fuisse, & tamen prius Prædicatorij, & Franciscani Ordines ibi numerantur. Quo fit, ut in toto libro Decretalium iussu Gregorij Noni collecto, solummodo referantur duo Ordines Mendicantium, Prædicatorum scilicet, & Minorum, *cap. Nimis, De excessib. Prælat. & cap. In his, De Priuileg.* Per ea enim tempora, nondum auctoritate Pontificiæ, & publico scripto Augustinianorum, & Carmelitarum Ordines confirmati fuerant, quamuis multo ante instituti erant, etiam Episcoporum auctoritate, & ipso etiam vsu, & more in multis orbis terrarum partibus approbati. Sed priuata Episcoporum approbatio, aut etiam priuatarum Ecclesiarum consuetudo non dat, aut dare potest formulam, vel ordinem religionis in vniuersum seruandum ab omnibus, nisi publica, & sollemnis Romani Pontificis auctoritas accesserit, qua ea religionis formula, & ordo approbetur, & gene-

ratim omnibus proponatur. Institutio igitur, nisi simul accedat Romani Pontificis publica, & sollemnis approbatio, non constituit ordinem inter Religiones: quoniam cum instituitur Religio, nisi Romani Pontificis auctoritate confirmetur, non obtinet approbationem in toto terrarum orbe, sed tantum in ijs locis, in quibus vsu approbatur. Porro in *libr. 6. Decretalium Bonifacij Octauij auctoritate collecto*, fit mentio Prædicatorum, Minorum, aliorumque Mendicantium Ordinum generatim, non speciatim, *cap. Constitutionem, De Regularib. & cap. Cum ex eo, De excessib. Prælatorum.* Sed in *cap. Quorundam, De elect.* expressim, & speciatim memorantur tres Ordines Mendicantium, videlicet Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini, *& cap. Religionum, §. Sanè, De Religiof. domibus in 6.* recensentur quatuor Ordines expressim, quoniam Carmelitani adduntur: nam iam ante Bonifacium Octauum, ab Alexandro Quarto, & Honorio Quarto, Eremitæ S. Augustini, atque Carmelitani suorum Ordinum approbationem firmam, & generalem, publico, & sollemni scripto confirmatam impetrauerant, ut supra commemorauimus.

**Quinto quæritur**, Quando primum quatuor Ordines Mendicantium fuerint instituti, & quando publica Romani Pontificis auctoritate approbati? Nam Augustiniani contendunt se omnium Mendicantium primos esse, & ratione institutionis, & ratione approbationis: eo quod legamus multa eorum Cenobia antiquissima. Pari ratione Carmelitani se omnium primos faciunt, & origine, ac institutione, & approbatione Pontificiæ. Respondeo, De Prædicatorijs quidem, ac Franciscanæ familijs illud certo constare, utramque Innocentij Tertij, & Concilij Lateranensis tempore institutam fuisse, quamuis Dominicana ab Honorio Tertio anno Domini millesimo ducentesimo decimo sexto, Pontificiam approbationem, publico, & sollemni scripto impetrauerit, & Franciscana quoque Familia ab eodem Pontifice anno millesimo ducentesimo vigesimo tertio.

De Augustinianorum, & Carmelitarum Ordinibus maior est controuersia. Namque Augustiniani Ordinem suum in B. Augustinum, ut in primum institutorem, ac parentem referre contendunt, testanturque Eremitas (quorum ille, secundum ipsos, caput exitit) saeuente Wandalorum perfidia, ac immanitate, & Monasterijs per Africam, partim igne exustis, partim ferro vastatis, in Italiam commigrasse, & in ea primum, deinde verò in Gallia, Germania, Hispania, & Anglia sparsim domicilia extruxisse, in quibus ritè, ac sanctè vsque ad Innocentij III. tempora vixere: Hic enim Pontifex, ut patet ex *libr. 2. epistoliarum eius.* Vlyssiponensi, & Combricensi Episcopis scripsit, præcipiens, ut cogèrent sceminam quandam habitum Ordinis S. Augustini resumere; quippe, quæ in manibus vnus ex illo Ordine Eremitæ, votum Castitatis emiserat. Idem quoque Pontifex *libr. 1. Epistoliarum*, Priori cuidam S. Augustini imperat, ut declaret excommunicatum Archiepiscopum Cantuariensem, eo quod Priorem quandam Augustiniani item Ordinis post appellationem ad Apostolicam Sedem, excommuni-

cacioni



cationi subiecerat. Ex vetustissimis item, & certissimis ipsius Ordinis monumentis apparet, eius nonnulla Cœnobita ante Innocentium Tertium fuisse fundata, ut Londinense in Anglia anno millesimo quinquagesimo nono: in Hispana Burgense anno millesimo centesimo quadragesimo nono, & Salmanticense, anno millesimo ducentesimo secundo, Colonienſe in Germania, anno millesimo centesimo sexagesimo quinto. Inchoatum itaque Ordinem ab Augustino, & penè collabentē restituit in provincijs Frans Alpes Guilielmus Dux Aquitanie, & in Italia Ioannes cognomento Bonus.

Alijs autem similis vero videtur, Eremitas ante Augustinum in Aegypto, Palæstina, Syria, Thebaide, Antonio, Hilarione, Macharjo, Pachomio, Magistris, ac Ducibus esse institutos, nec forsitan B. Augustinum Eremitam fuisse, sed in Africæ Eremitas salutaribus monitis, consilijs, doctrina, & præceptis imbuisse. Sic enim S. Martinus Turonensis Episcopus in Gallia, Simplicianus Mediolani, Basilii in Cappadocia, Monachis vivendi formulam tradiderunt, & aliqua eorum Cœnobita non parum auctoritate sua, prudentia, consilio, & præsidio sustentarunt. Post Augustinum verò per Occidentem sparsi Eremitæ vixerunt, non vnum quidem in ordinem redacti, nec vno nomine vocati, nec eodem vestitus genere vsi, nec eisdem Constitutionibus adstricti, nec vni capiti subiecti. Guilielmi sane Aquitanie olim Ducis, & Pictaviensium Comitibus ad Eremiticam vitam conuersi opera, & imitatione Trans Alpes in Germania, Gallia, Lilyrico, & Hispania aliquot Eremitarum domicilia constituta fuisse perhibentur. Vnde & Guilielmitæ appellari cœperunt; & in Italia cuiusdam Ioannis (ut diximus) cognomento Boni Eremitæ, studio, & pietate sunt etiam extracta, & fundata nonnulla Cœnobita: ac tandem Alexander Quartus omnes Eremitas diuersorum Ordinum per Occidentem dispersos; (quorum alij Guilielmitæ, alij Fratres Ioannis Boni, alij Fratres vulgò de Pœnitentia Iesu Christi, alij alijs nominibus dicebantur) in vnum ordinem cœgit, & restrinxit, præcipiens omnibus, ut vnam S. Augustini Regulam profiterentur; & eodem nomine vocati, eisdemque Constitutionibus deuincti, ac eodem amictus genere vsi, vni totius Ordinis Priori Generali parerent. Nam Innocentius Quartus, qui Alexandrum Quartum præcesserat, ut testantur ipsi Annales Augustiniani, & Anton. part. 3. tit. 24. cap. 14. §. 3. animaduertentes Prædicatorum, & Minorum Familias in dies amplius auferri, & vberimos in Ecclesia Dei fructus proferre; Eremitas verò, quorum multæ adhuc Familie extabant, sibi solis prodesse, non alijs, de creuerat eos omnes Eremitas in vnum veluti gregem, & corpus redigere, ut more Prædicatorum & Minorum, cibo mendicato viuerent, ad Populum conciones haberent, pœnitentium confessiones exciperent, & cæteras Ecclesie functiones obirent: quod tamen bonus ille Pontifex morte è viuis ereptus, ad exitum perducere nequiuit. Anno igitur millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto auctoritate Alexandri Quarti conuocatis multorum Cœnobiorum Eremitis,

communi omnium consensu creatus est primus totius Ord. Eremitici Prior Generalis Lanfrancus Septulanus Mediolanensis: tuncque erasis omnibus alijs Eremitarum Congregationū nominibus supra commemoratis, vna illa duntaxat appellatione vocari cœperunt, videlicet, Eremitæ S. Augustini, eo quòd eius Regulam professi, amictum etiam, & cingulum, quo etiam nunc vtuntur, delegerunt. Atque ita, ut B. Antoninus scriptum reliquit loco citato, vnus è multis, Eremitarum S. Augustini nomine, conflatus est Ordo. Fuerunt igitur, longè ante Innocentij III. & Concilij Lateranensis tempora per Occidentem Eremitæ, fuerunt, & Cœnobita S. Augustini nomine dicta, ut quæ sub eius, uti diximus, Regula militabant, & viuebant exemplo, & imitatione eorum, quos B. Augustinus moribus, & præceptis, ac legibus informauit, sed nondum Ordo Eremitarum, qualis nunc cernitur, fuerat constitutus.

Porrò Carmelitæ, seu Carmelitani gloriantur, se Eliam Prophetam habere tanquam principem sui Ordinis, & parentem, ac institutorem; à quo inceptum primum, postea per Eliseum, & alios eorum discipulos, (quos sacre literæ passim filios Prophetarum appellant, & Liranus refert, Religiosos viros fuisse) continuatum esse testantur vsq; ad Ioannem Baptistam, quem etiam tanquam sui Ordinis alumnum reuerentur, & colunt: cuius vestigijs insistentes alij eo tēpore, quo Spiritus sanctus celo emissus Christi discipulorum corda repleuit; Hierosolymis commorabantur, & in Actis Apostolicis viri Religiosi vocantur: quos etiam perhibent Apostolorum concionibus ad Christi Religionē conuersos, & in monte Carmelo prope locum, qui vulgò dicitur Fons Eliæ, sacram B. Virgini ædiculam extruxisse, & inde vocari cœptos Eremitas B. Virginis in monte Carmelo, ac deinde temporibus Archadij, & Honorij Imperatorum anno quadragesimo duodecimo, fuisse tradunt Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, qui cum Monachus esset ad Caprasium Monachum fertur, librum scripsisse, De institutis Monachorum in monte Carmelo. Deinde, occupantibus Palæstinam, & Syriam Saracenis; diminutus quidem Monachorum numerus est, sed non extinctus: & post recuperatam Palæstinam, Almerichus Patriarcha Antiochenus, natione Gallus, patria Lemouicensis, ex Sancti Basilij Regula, præcepta quædam collegit anno 1121, quæ obseruanda curauit ab hisce Eremitis, qui tunc in monte Carmelo viuebant, vna cum alijs, qui post ereptam Saracenis Hierosolymam, se illis studio religionis adiunxerant, illisque omnibus vnum præfecit, quem Latinorum, non Græcorum more, iuxta Regulam S. Augustini, Priorem vocauit, non Abbatem, ut S. Benedictus appellari voluerat. Postea Albertus Hierosolymitanus Patriarcha anno millesimo centesimo septuagesimo primo, eiusmodi præcepta in breuiorem quendam, & faciliorem ordinem rediguit, & sua auctoritate confirmauit: quam Instituti rationem, & formam Honorius Tertius, & Gregorius Nonus primò approbarunt, & postea Innocentius Quartus, & Alexander Quartus ad decem capita redactâ, breuiorem adhuc, clariorem, & mitiorem effectam, opera Hugonis Car-



dinalis, & Guilhelmi Episcopi Anteradenſis Dominicanorum, confirmarunt.

Alijs verò magis placuit opinio quorundam afferentium poſt receptam bello ſacro, Gothifredo duce, Hieroſolymam, certos quosdam viros Religioſos, ac ſolitarie vite ſtudio ſeſſiſſe exemplo, & imitatione Elia, in montem Carmelum, & ibi Eremiticam vitam egiſſe: extruxiſſeque ſacellum in honorem B. Virginis: quibus deinde Almericus præcepta viuendi ex S. Baſilij Regula deprompta tradidit. Poſtea verò Albertus breuem Regulam ſcripſit. Et quia Concilium Lateranenſe prohibuerat, ne quis Religionem nouam inſtitueret, niſi vna ex Regulis approbatis deſtatales Eremitæ Regulam ab Alberto acceptam auctoritate Apoſtolica Romani Põtificis approbandam curauerunt. Quocirca Honorius Tertius, & Gregorius Nonus eam quidem confirmarunt: generatim tamen ordinem ipſum minimè approbarunt. Solùm enim ſcripſerunt Priori, & Fratribus Eremitis in monte Carmelo habitantibus, vt qui in eo monte primam ſedem haberent. Fuit igitur approbatio reſtriãta, vt in eo monte habitarent: fuit priuata quædam illius Conuentus approbatio. Cæterùm ex Oriente in Occidentem ſe recipere compulſi fuère, ob Sarcenorum Paſſinam rurſus occupantium Barbaricam ſcruitiam: tunc enim omnes in Italiam commigrarunt, inde per Angliam, Galliam, & Hiſpaniam aucti, & propagati ſunt: quo etiam tempore Innocentius Quartus, & Alexander Quartus Regulam, quam in Oriente acceperant, ſua ſolemni, publica, & generali ſcriptura, & diplomate Pontificio approbarunt. Nam cum primum in Occidente ſe tranſulerunt, nequaquam ij ab omnibus Episcopis, & Ordinarijs admittebantur, partim afferentibus eorum Ordinem nouum eſſe, ac poſt Lateranenſe Concilium inſtitutum: partim dicentibus fuiſſe quidem eum Ordinem approbatum, in Oriente, ab Almerico Antiocheno Patriarcha, & Alberto Archiepiscopo Hieroſolymitano, ſed eam approbationem ſatis non eſſe, niſi Romani Pontificis acceſſiſſet auctoritas, qui totum Eccleſiæ præſert: & approbatum quoque eſſe ab Honorio Tertio, & Gregorio Nono, ſed reſtriãtè ad habitandum duntaxat in monte Carmelo, vnde fuerant exorti, vndeq; venerant. Demum quod eorum veſtitus ratio, videretur noua, & inſolens, quoniam varij coloris amictu utebantur. Quare tunc auctoritate Innocentij Quarti, eorum Regulam Hugo Cardinalis, & Guilhelmus Episcopus, vterque Dominicanæ Familiæ, correxerunt, declararunt, temperarunt, donec tandem auctoritate Honorij Quarti ſtabilitus, & confirmatus eſt Ordo: tunc enim chlamydem, ſue palliũ album eiufmodi Eremitæ ſibi delegerunt, cum antea in Oriente ſcilicet, vterentur pallio varij coloris ex albo, & rutilo contexto, quod in Occidente iam agentes, deponere ſunt coacti; propterea quod is amictus parum videretur decere Religioſam grauitatem, Is, qui continuauit hiſtoriam Belli ſacri libr. 5. cap. 3. narrat originem in hunc modum. *Carmelus eſt mons in Syria habitatione, tam aliorum Propheetarum, quam Helie, & Heiſet nobilis. Hunc locum ſub Almerico Hieroſolymitano Patriarcha inſederant Anachoreta: ac cum*

*ſparſim circa montem habitarent: tandem conuero ad fontem, qui Helie dicitur, in cacumine montis, phaurum, & monaſterium conſtruxerunt: vni, qui honeſta præcipiebat, humiliter parendo, ſine tamen certo inſtituto, ſine peculiari cultu, ſine ceremonijs. Albertus poſtea Hieroſolymitanus ſub Innocentio III. Patriarcha, & Legatus certas obſeruationis regulas illis præſcripſit, addidit & veſtitiũ normã: pallium ſcilicet varij coloris ex albo, & canuſino circumſatione: Heliam huiufmodi cultu ornatum inſeſſiſſe, Baſilium ea viuendi formula uſum fuiſſe aſſerens. Erat iam quædam propheticæ pallij habitus, non ſolum Chriſtianis, ſed etiam Barbaris, vt magni Sulibani elemoſyniſta familia tota ſuſtenta eſt, & locupleſcitur. Hæc ille.*

Ex his perſpicuum eſſe poteſt, quemadmodum ſit accipiendum id, quod habetur in cap. Religionum. ſ. Sanè, De Religioſ. domib. in 6. vbi Gregorius Decimus in Concilio Lugdunenſi, cum Religionum multitudinem nouarum inhibuiſſet; declarauit Conſtitutionem ſuam ad Prædicatorum, & Minorum Ordines minimè extendi. Deinde ſubſcribit: *Ceterùm Eremitarum Sancti Auguſtini, & Carmelitarum Ordines, quorum inſtitutio Generale Concilium Lateranenſe præceſſit, in ſolido ſtatu volumus permanere.* Perpendendum illud: quorum inſtitutio generale Concilium præceſſit: quod ſenſum habeat, iam aperuim⁹. Deinde, & illud: *In ſolido ſtatu, vbi, vt Gloſſa annotauit, Gregorij Decimi Conſtitutio antea, ſiue olim, ſic habebat: In ſuo, aut in ſolito ſtatu volumus permanere, donec de ipſis fuerit ordinatum. In eundem modum, tam de illis, quàm de reliquis etiam non Mendicantibus, prout animarum ſaluti, & eorum ſtatu expedire videbimus prouidere.* Fertur, inquit Gloſſa, Gregorius in animo habuiſſe, relinquere ex Mendicantibus Ordinibus ſolum duos, Prædicatorum, & Minorum, & ex non Mendicantibus tres, Ciſterciienſium, & Nigrorum Monachorum, & ex Militariibus Templarijs, & Hoſpitalarijs vnũ eſſe. At verò totum hoc Bonifacius Oſtauum detraxit: & illud, in ſuo, aut in ſolito, mutauit in id, in ſolido: quoniam poſt Gregorium Decimum, & ante Bonifacium Oſtauum, Ordines Eremitarum S. Auguſtini, & montis Carmeli ſtabilem iam, ac firmã approbationem obrinuerãt ſolemni aliquorum Pontificum auctoritate munitam.

Sextò quaeritur, An ſatis ſit ad hoc, vt aliquis Religioſorum Ordo Mendicantium numero habeatur, Conſtitutionibus vtatur mendicitatem imperantibus, an verò requiratur etiam, vt Conſtitutiones huiufmodi Romani Pontificis auctoritate confirmetur? Reſpondent quidam, primum illud non ſufficere: nam quemadmodum in iure Canonico nulla communiter viuentium hominũ coacta Societas pro Religione habetur, niſi à Romano Pontifice approbetur; ſic etiam nullus Religioſorum Ordo, etiam legitime confirmatus pro Mendicantium Ordine habetur, abſque Romani Pontificis approbatione: nec enim priuilegijs, & facultatibus Mendicantium gaudere poteſt ſine huiufmodi confirmatione. Accedit, quod ſi ſola per ſe Conſtitutiones ſufficerent, ex Mendicanti Ordine fieri poſſet Ordo, Non Mendicans, & è contrario: Conſtitutiones enim, quas nulla Romani Pontificis auctoritas confirmat, mutari facile, tolli, & abrogari queunt; confirmatae verò Pontificia auctoritate, non item. *Mihi tamen verius apparet, Mendicantem Ordinem,*

quod



quod attinet ad substantiam esse ex Regula, instituto, aut Constitutionibus suis. Pontificia verò approbatio Ordinis Mendicantis substantiam non facit, sed declarat eum esse Mendicantem, & Mendicantium privilegij dignum, & dat Ordini Mendicanti rationem, & formulam, sine qua talis generatim ab omnibus non haberetur, nec haberi posset.

**Quæres**, An Constitutiones mendicantem præcipientes sufficiant, si totius Ordinis approbationem iureiurando firmatam habuerint absque Romani Pontificis auctoritate? **Respondeo**, minime; quamvis alioqui plus virium, & firmamenti interpositum iusiurandum addidisset. Etenim auctoritas Pontificia Mendicantium Ordinem constituit, dummodo mendicatus ex Regula, vel Constitutionibus Ordini conveniat. Item, Constitutiones etiam iureiurando firmatæ, si totius Ordinis auctoritate mutantur, vel abrogentur, valet abrogatio; verum in abrogando, periculum ipse Ordo committit.

**Septimò quæritur**, An vsu, & more induci queant novi Ordines Mendicantium? **Respondeo** in hunc modum, sicut ex Regula, vel Constitutionibus institui queunt novi Ordines Mendicantium, quod pertinet ad substantiam, quod spectat verò ad rationem, & formulam possunt, si Romani Pontificis auctoritate approbentur; ita etiã consuetudine introduci possunt; eadem tamè, quam dixi, approbatione accedente: quod enim potest lex, vel constitutio inducere, potest quoque consuetudo, quæ vim legis habere dicitur.

**Octavò quæritur**, An consuetudine induci possit, ut Ordines Mendicantium bona immobilia in commune possideant. **Respondeo**, posse; præsertim si ea consuetudo tacita Romani Pontificis voluntate approbetur, hoc est, si eam Romanus Pontifex sciat, ac toleret. Privilegio enim aut concessu Pontificio Mendicantium Ordines aliquando habent potestatem stabilia bona communiter possidendi: uti Dominicana Familia Sixti Quarti beneficio anno 1475, ius obtinuisse fertur eiusmodi bona habendi. Vade in Hispania, & Italia quædam Prædicatorum Collegia annuos redditus in commune possident. Sic etiam Pontificio concessu Augustinianorum, & Carmelitarum Collegia annuos redditus in commune habent. Tridentina quoque Synodus Sess. 25. capit. 3. De Regularibus, sic ait: Concedit sancta Synodus omnibus Monasterijs, & domibus tam virorum, quam mulierum, & Mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci, Cappucinarum, & eorum, qui Minorum de observantia vocantur, etiam quibus, aut ex Constitutionibus suis erat prohibendum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Hæc ibi. Quo fit, ut non definant esse Ordines Mendicantium ij, qui ex Regula, vel Constitutionibus bona stabilia habere prohibentur, quamvis ex privilegio tamen, vel beneficio Romani Pontificis habeant. Quod autem potest Romanus Pontifex privilegio concedere, potest etiam consuetudo ab eodem Pontifice approbata introducere. Si enim Principum leges & constitutiones sepe vsu mutantur, & ex toto, vel ex parte abrogantur, non est cur Religiosorum quoque Ordinum constitutiones, vel Regula consuetudine Romani Pontificis consensu

expresso, vel tacito approbata, mutari, aut aboleri non queant. Solum enim in ea, quæ ad Monastici instituti substantiam, & naturam, & habitum spectant, vim consuetudo contraria non habet. Hæc autem sunt, quæ tribus votis continentur.

**Nonò quæritur**, An Mendicantium Ordines vivere debeant ex elemosynis ostiatum mendicatis? **Respondeo**, id minime requiri; sufficit enim, si vivant ex elemosynis, vel sibi vltro oblati, & datis, vel alio quolibet modo quaesitis, ac partis. Quid enim, que so, impedit, quò minus Mendicantium Coenobia sibi ad victum necessaria habeant ex elemosynis, quas boni, ac pii viri spontè ad ipsos deferunt? Quid etiam obstat, quò minus alij pro ipsis Religiosis elemosynas petant, ex quibus honestè sustententur, ac vivant?

**Decimò quæritur**, An Ordines Mendicantium tuta conscientia annuos redditus possideant? **Respondeo**, minime: siquidem annui redditus inter bona immobilia, quorum illi capaces non sunt, numerantur. *Clement. Exiit. §. Cumque annui, De verbo, signific.*

**Vndecimò quæritur**, An si bona stabilia testamento Mendicantibus legentur, ab eis recipi queant. **Respondeo**, posse, si sermo sit de alijs Mendicantibus præterquam de Franciscanis, qui Capucini, & Observantes nominantur: ea tamen conditione, & lege, ut vendantur, & eorum pecuniæ in elemosynas vertantur, quas in suis ipsorum, vel aliorum necessarios vsus impendant. **Objicies**, non posse eos hæc bona capere sibi legata, etiam ad tempus, cum interim dum retinent, nec vendunt, possidere videantur bona stabilia, quorum tamen participes esse nequeunt. **Respondeo**, hoc nihil officere: non enim eiusmodi bona recipiunt ij Mendicantes, ut retineant, sed ut vendant, & consumant. **Quæres**, an statim ea bona vendere debeant? **Respondeo**, eos id facere debere, cum primùm commode possunt. Dicimus, commode, quia nihil impedit, quò minus temporis opportunitas expectetur, ne ea res legata vilissimo pretio vendantur.

**Duodecimò quæritur**, An Mendicantibus liceat hortos habere, ex quibus olera ad victum necessaria colligant? **Respondeo**, eis licere, & domos habere ad habitandum, & hortos ad deambulandum, ad legendum olera, & fructus percipiendos: dummodo tamen nihil fructuum inde percipientium vendant, aut locent. **Quæres** item, eis ne liceat vineam aliquam possidere in vsu eorum, qui agrotant, vel ex morbo conualescunt, vel qui ut rebus spiritualibus studeant ad tempus ab hominum consuetudine sepositi se aliquo recipiunt? **Respondeo**, fas, & ius illis esse possidere; ita tamen, ne vineæ fructus alijs vendant, aut locent.

**Decimotertio quæritur**, Penes, quos sit dominium, & proprietas domorum, sacrarum ædium, & horticulorum, quos Mendicantium Ordines habent in suos vsus necessarios? **Respondeo**, si de ijs Ordinibus loquamur, qui Franciscani, Cappucini videlicet, vel Observantes, non sunt, dominium atinere ad ipsius Ordinis Monasticum Contentum, siue Collegium, quod domum, templum, vel hortum habet: neque enim cum Regula, vel Constitutionibus Mendicantium pugnat proprietas,



huc dominium domus ad habitandum, vel horti ad deambulandum, aut herbas, fructusque colligendos, vel sacrae aedis ad Diuina ministeria exequenda. Etenim in extrauag. Ioannis XXII. quae incipit: *Quia quorundam*, De verb. signific. dicitur: *Fratres Predicatores in altissima paupertate Christo famulari: tamen constat, eos aliquid in commune possidere, in eo etiam, quod attinet ad proprietatem, quod eorum Regulae, & statim non repugnat.*

Decimoquarto queritur, An si Titius testamentum legat Cario bona stabilia, annuae redditus, ea lege, ut ex eis annua Mendicantibus alimenta praebeat, eis liceat accipere? nam id videtur licere accipere. Finge tibi Religiosum ex aliquo Mendicantium Ordine, vel nauigantem, vel iter facientem, quid impedit, quin is iure alimenta recipiat ab eo, qui vna cum illo iter facit, aut nauigat? Quod autem licet ad tempus facere, quidni etiam in perpetuum, hoc est, ad vitam? Respondet, manifeste id eum Religiosa mendicitate pugnare, eosque peccare, qui admittunt haec bona alijs legata, ea lege, & conditione, ut ijs, quibus legantur, ipsis Religiosis praebere annua alimenta debeant. Si enim alium habeas tibi obligatum ad alimenta porrigenda, perinde fuerit, ac si habeas alimenta tibi obligata: ac proinde ius, & potestatem dicta alimenta exigendi, ac tuos in vltus conuertendi.

Decimoquinto queritur, An redditus annuus testamentis legatus Coenobio Fratrum Minorum, qui Obseruantes dicuntur, pro fabrica templi, vel sacelli, aut pro vino, cera, oleo, & vestimentis ad Missarum sacrificia facienda, & offerenda necessarijs, sit rarus, & firmus? Respondet Nauarrus in consil. 13. de testamen. esse, eo quod in cap. Exiit, De verb. signific. in 6. solum prohibetur, quod minus Fratres Minores accipiant legatum pro suo Collegio, Coenobio, & Capitulo; non tamen relictum ad Templi, vel Oratorij vsus necessarios: hoc enim non legatur ipsis Fratribus, sed sacris aedibus, & templis, quae Ordo ipse habet. Nec in Clement. Exini, De verb. signific. nec in Regula S. Francisci aliquid continetur, quo prohibeatur Ordo annuus redditus legatos recipere ad Ecclesiarum vsus, sed iam modo legata, quae ad ipsorum Religiosorum victum, & vtilitatem spectent. Mihi tamen haec sententia dubia, & incerta esse videtur: propterea quod in cap. Exiit, De verb. signific. in 6. sit eis interdictum absolute, & simpliciter legatum rem immobilem admittere ea conditione, ut locent, vel colant, sed annuus redditus inter res stabiles connumeratur; ergo videtur simpliciter prohiberi. Nec obstat ratio Nauarri dicentis non esse legatum ad vsus ipsorum Religiosorum, sed ad templorum vsus: nam in eo capite absolute, & simpliciter prohibeatur legata rerum immobilium: ac ubi ius non distinguit, nec nos distinguere oportet.

Decimosexto queritur, An ius sit Franciscanis Fratribus accipere redditum annuum legatum alicui ea lege, ut quotannis curet a Fratribus Franciscanis certa Missarum sacrificia facienda? Respondet, minime ob rationem proximè assignatam, eo quod sit legatum rei immobilis ea lege, ut quotannis Franciscanis soluantur. Nauarr. consil. 4. de testament.

## Caput XXIII

## Aliae quaestiones eiusdem argumenti diluuntur.

Sancti Francisci Regula in iure institutionis quibusdam visa est dubia, & obscura, difficilis, & ardua; ut propterea necesse fuerit eam Romanorum Pontificum auctoritate declarari ad scrupulos e multorum animis euellendos, ad controuersias dirimendas, ad respondendum obtretatorum calumnijs. Extant ergo in iure Canonico Romanorum Pontificum declarationes: Vna quidem Nicolai Tertij in cap. Exiit, De verb. signific. in 6. Altera, Clementis Quinti, in Clement. Exini, de verb. signific. & dux alia Ioannis XXII. quae incipit: *Quorundam*, & ad Conditionem, quae habeatur inter Constitutiones Ioannis XXII. De verb. signific. In praesenti igitur dicam, quicquid in huiusmodi Pontificijs Constitutionibus iuri communi insertis declaratum est de altissima Franciscani instituti paupertate, & mendicitate.

Primo queritur, An S. Francisci Regula suos professores ita Deo obliget, ut compellantur ad omnia Euangelica Christi consilia exequenda, eo quod se Regulam seruaturus pollicentur? Ea autem statim initio, & ad finem proponit, Euangelicam perfectionem esse studendum, & eam esse obseruandam. Respondet Nicolaus Tertius in cap. Exiit, eos non ita, ut quaesitum est, Deo obligari, sed solum ad vota emissa seruanda, & ad ea, quae in Regula tanquam praecipua, aut prohibita exprimuntur, & ad ea, quae verbis praecipuum, vel prohibitionem significantibus praescribuntur.

Secundo queritur, Quenam in Regula praescribantur praecipua vim continentia? Respondet Clemens Quintus in Clement. Exini, De verb. signific. Primum non omnia, quae Regula constituit verbis imperatiui modi, quasi per affirmationem, vel negationem vtens, praecipua vim, & robur habere. Deinde, vbicumque in Regula ponitur hoc verbum, *Teneantur*, continere vim praecipua; & propterea id Fratres obseruare oportere. Postremo exprimit, quot, & quae in Regula continentur vim praecipua habentia, nimirum: *Non habere plures tunicas, quam vniam cum caputo, & altera sine eo: Calceamenta non deferre: Iter equitando non facere, nisi subit necessitas: Vt vestitu vili: Te iuuuim seruare a die omnibus Sanctis sacro, usque ad Natalem Domini; & singulis quibusque sextis ferijs per annu: Clericos Diuinum Officium recitare more, & ritu Romanae Ecclesiae; Ministros, & Custodes pro necessitatibus infirmorum, & Fratribus induendi sollicitam curam habere: Si quis ex Fratribus egros, aitos debere ei inferrire: Fratres predicare non posse in diocesi alicuius Episcopi, eo renuente: Nulli predicare licere, nisi a Ministro Generali, vel alijs, ad quos id pertinet, fuerit examinatus, approbatus, & ad hoc munus institutus: Fratres, qui seuerim se Regulam obseruare non posse, debere ad suos Ministros adire: Omnia, quae ponuntur in Regula ad genus, & summi habitus, tam Nouitiorum, quam Professorum, nec non ad modum professionis, & ad professionem spectantia, nisi recipientibus quoad habitum Nouitiorum, sicut dicitur Regula, secundum Deum aliter videatur, ab omnibus Fratribus, ut obligatoria esse seruanda. Haec in illa Clementina.*

Tertio



**Tertio** queritur, An Franciscanorum paupertas Voto promissa, omnem proprietatem, ac dominium rerum communiter, & priuatim excludat? Respondet idem Pontifex, tantam esse, vt Religiosi Franciscani nihil communiter, & priuatim possidere queant, in quo eorum paupertas à ceterorum Mendicantium paupertate distinguitur. Ceteri enim Mendicantes, nec ratione Regulae, nec Voti prohibentur, saltem modicum aliquid communiter possidere: nam etsi annuos redditus, aliaue stabilia bona in commune non habent, nihilominus habent dominium, & proprietatem domorum, in quibus habitant, hortorum, in quibus deambulant, & ex quibus olera colligunt ad suum tantum usum, & commodum, & sacrarium ædium, in quibus diuina tractare solent.

**Quarto** queritur, An Franciscanorum paupertas, qua sese abdicant rebus omnibus tum communiter, tum priuatim, sit iuri, & rationi consentanea? Egerunt enim olim calumniatores, qui obiecerunt illis, eiusmodi paupertatem non esse bonam, eo quod nullo modo, aut saltem ægrè obseruari possit, essetque præter omne ius, & Monasticorum Ordinum, & aliorum etiam Mendicantium morem, & præter Christi Domini, & Apostolorum exemplum. Nam de Christo Euangelium commemorat loculos habuisse, & de Apostolis in eorum Actibus refertur, eos ex bonis, quæ in commune possidebant, vixisse. Verùm respondit Nicolaus Pontifex, Franciscanorum Fratrum paupertatem non solum seruari posse, sed licere cuique eam voto profiteri; & cū Dei causa suscipiatur, esse sanctam, & magni meriti, & fructus apud Deum, quam Christus, & verbo docuerit, & vitæ exemplo firmaverit: eo quod etiam si loculos habuerit, in illis infirmorum personam suscepit, egitque quod est infirmorum, quorum etiam personam interdum in fuga sustinuit. Definit quoque idem Pontifex, eam paupertatem non solum esse magni meriti, & perfectionis, sed eo maiorem, quo magis suos professores à temporalibus bonis arceat, ac remouet.

**Quinto** queritur, penes quem sit proprietas, & dominium eorum bonorum, quibus Franciscani vtuntur? Respondet idem Pontifex, Domorum quidem, quas incolunt, hortorum, templorum, Oratoriorum, librorum, & supellectilium, quibus ad victum, vestitum, cultum, & ministerium Diuinum, & literarum studium vtuntur, proprietatem ad Ecclesiam Romanam pertinere, eorum verò, quæ ex priorum hominum donationibus, & largitionibus accipiunt, quæque in numero, pondere, & mensura consistunt, & vltimo ipso consumuntur, dominium esse penes eos, qui ea donant, & proinde tales habere ius repetendi, & reuocandi donata, donec ea ipsi Franciscani consumpserint, siue in alios transtulerint, donando, vendendo, vel permutando.

**Sexto** queritur, Quidnam iuris Franciscani habeant in bonis, quibus vtuntur? Respondet Pontifex, in rebus sunt quatuor, aut quinque iura; dominium, quod est ius vtendi re in quemlibet usum lege permissum; Possessio, id est, ius legitimum insistendi rei corporali. Vtusfructus, quod est ius legitimum vtendi fructibus rei in omnem usum, salua eius substantia; & vsus iuris, videlicet, legi-

tima facultas, & potestas vtendi fructibus rei in proprium commodum integra eius substantia; & vsus facti, qui nullum est ius, sed solum facultas vtendi fructibus rei ad nutum, & voluntatem veri domini. Franciscani nullum ius habent, sed simplicem tantum modo, ac nudum facti usum; & proinde eos declarat Pontifex vt bonis instar seruorum, qui nutu, & voluntate domini nudum usum tantum rerum habent. Quo fit (ait idem Pontifex) vt Franciscani bonorum usum non habeant, ad superflua, & vana, sed tantum ad necessaria, quibus egeant ad victum, vestitum, cultum diuinum, literarum studium, & cætera generis eiusdem.

**Septimo** queritur, Quibus modis Franciscani iure res ad vius necessarios acquirant? Respondet Pontifex, tribus modis; Aut vltro, & liberaliter sibi donata recipiendo; Aut mendicando humiliter; Aut laboriosè conquirendo.

**Octavo** queritur, Qua ratione liceat Franciscanis vt pecunijs, cum eorum Regula præcipiat, ne eas per se, vel per alium accipiant, & contrectent? Ait Pontifex licere eas non quidem apud se priuatim, aut communiter retinere, sed apud Procuratorem, quem Syndicum vocant, qui illas in vsus necessarios det, & impendat; non quidem nomine ipsorum Franciscanorum, quorum pecunie non sunt, sed nomine eorum, qui dederunt, ad vsus ipsorum necessarios, ad quos, inquam, vsus tuta conscientia petuntur, recipiuntur, & asseruantur apud Procuratores. Et Clemens Quintus in *Clement. Exiij. De verb. signif.* declarauit non licere Fratribus pecunias recipere per se, vel per alios, asseruare, vel retinere quæstus gratia, aut in alios vsus, quàm vitæ necessarios. Item, fas quoque illis non esse ab eis, qui pecunias custodiunt, aut retinent, rationem earum exigere, ac si veri domini essent.

**Nono** queritur, Quo modo licitum sit Franciscanis sibi res testamento legatas recipere? Respondet Pontifex, nō licere illis stabilia bona recipere, nec item hortos, ita vt eorum fructus locent, vel vendant, sed ad proprios duntaxat necessarios vsus: qua ratione etiam domos ad habitandum iure possident; pecunias verò, libros, & alia supellectilia, ad ministerium, & cultum Diuinum, vel ad literarum studium, vel ad alias impensas necessaria, tuto recipere, immò etiam petere, dummodo id faciant ad subueniendum necessitatibus præteritis, præsentibus, vel etiam futuris, probabiliter tamen sequentibus.

**Decimo** queritur, An tuta conscientia Franciscani habeant granaria, & cellaria ad frumentum, vinum, oleum, & his similia asseruanda? Respondet Ioannes XXII. in *Constitutione. Quia quorundam, De verb. signif.* tūtò ea habere, hac tamen lege, vt non nisi pro necessitatibus præteritis, vel præsentibus, vel etiam futuris, quæ faciliè contingēt, subleuandis, ea habeant.

**Vndecimo** queritur, An duas habere tunicas Franciscanis sit licitum? Respondet Nicolaus Tertius in *Constitutione, Exiij.* vnā eis licere habere tunicam cum caputio, & alteram sine illo. Quod eatenus concessum est, vt dum alteram tunicam lauant, altera induantur. Quæ nimirum ratio in duobus capitijs locum non habet, cum alterum



tantum eorum sufficiat. Idem declarauit Clemens Quintus in *Clementina, Exiij, De uerborum significatione.*

Duodecimò queritur, An ijs, quæ definit in *cap. Exiij, De uerb. signifi.* Nicolaus Tertius, aliqua ratione aduersetur illa, quæ constituit Ioannes XXII. in tribus Constitutionibus editis, nempe, *Ad Conditorem, & Cum inter, & Quia quorundam, De uerb. signifi.* Huic dubitationi antequam respondeam, illud prænotandum arbitror, tempore Ioannis XXII. Franciscanam familiam, satis grauem, & molestantem persecutionem pertulisse; ob certas quasdam questiones tunc primum erumpentes, de Paupertate, quæ Franciscani profiteri se passim prædicabant; nil scilicet proprium priuatim, aut communiter se habere: eamque paupertatem esse arctissimam, & institutam primum, ac susceptam à Christo Domino, & Apostolis, ut potè quam ipsi, & uerbo, & uitæ exemplo tradiderint: quo etiam tempore uiebat Marsilius, quidam de Menandrino dictus, Patavinus, qui cum alijs quibusdam docebat Christum, eiusque discipulos nihil unquam proprium priuatim, aut communiter habuisse, sed nudum tantum, ac simplicem usum rerum. Franciscani uerò sese tuebantur auctoritate Romanorum Pontificum Gregorij Noni, Innocentij Quarti, Alexandri Quarti, & Nicolai Tertij. Qui quidem Constitutionibus editis, & S. Francisci Regulam confirmauerant, & apertè docuerant eos nihil proprium priuatim, aut communiter possidere: dominiumque, ac proprietatem domorum, officinarum, templorum, oratoriorum, librorum, & supellectilium, quibus utebantur ad victum, vestitum, studium, & cultum Diuinum, esse penes Ecclesiam Romanam, cuius nomine Procuratores ab ipsis Franciscanis constituti in iudicio, & extra illud de his rebus agebant: dominium uerò pecuniarum, aliarumque rerum similitè eis donatarum, ad eos, qui donauerant pertinere; ipsos uerò solum usum habere, Tunc temporis Ioannes XXII. qui Franciscanis erat subinfensus occasione quorundam Franciscanorum, qui ipsi Pontifici aliqua obiebant, quorum capita fuere Michaël de Cesena Minister Generalis, & Guilielmus Ocham, Theologus insignis, Constitutionem edidit, cuius initium est, *Ad Conditorem*, quæ uidebatur aliqua ex parte pugnare cum Constitutione Nicolai Tertij. *Exiij.* Etenim Ioannes XXII. primum ait, nihil profuisse Franciscanis, quòd Romani Pontifices sui antecessores sibi reseruauerint dominium rerum, quibus ipsi utebantur, eo quòd in iudicio, & extra illud, de bonis, quæ habebant, litigarent, perinde, ac si veri domini essent. Ait deinde, abdicationem, qua tum priuatim, tum communiter se rebus suis abdicant Franciscani, nihil ad maiorem perfectionem Christianæ uitæ, nihil ad maiorem paupertatem pertinere. Immo in *Constitutione, Quia quorundam*, id probat ex eo, quòd Gregorius Nonus expressim definierit, Fratres Prædicatores, & Minores in arctissima paupertate, Christo pauperi famulari: Et tamen constat, inquit, ipsos Prædicatores habere in cõmune etiam proprietatem aliquarum rerum; quod eorum Regulæ, & statui non repugnat. Et respõdet ei, quod Innocentius Quintus antecessor dixerat, arctissimam paupertatem

esse, pauca propria habere propter Deum; arctiorem, quæ nulla propria habet priuatim, quamuis communiter habeat: arctissimam, quæ nihil propriam habet in hoc mundo priuatim & communiter: Respondet, inquam, id non ut Pontificem dixisse, sed tanquam priuatam personam; nimirum F. Petrum de Tarantasia, ut ibidem ait, Tertio, inquit, usum in re, quæ ipso facto consumitur, non posse constitui, nec haberi separatim à dominio. Hoc ille probat ex iure, & ratione, & ex mente ipsius Pontificis Nicolai Tertij. Nam si quis eiusmodi res iure uendit, donat, uel permutat, uerè dominium earum rerum habet. Item, dominium in his rebus separatim ab usu, est prorsus inutile, & propterea si Franciscani usum haberent, & Ecclesia Romana dominium, nihil utilitatis inde Ecclesia Romana perciperet. Accedit, inquit, quod iura, & leges manifestè definiunt, in huiusmodi rebus non posse usum à dominio seungi: alioqui enim tum usum, tum dominium harum rerum esset pecunia seorsum æstimabile. Præterea, aut Franciscani licitè utuntur his rebus, aut non: Si secundum, ergo utendo peccant, quod est absurdum. Si primum, ergo iure utuntur; Id enim licitè fit, quod iure fit; & prout usum iuris habent, non tantum facti. At usus iuris in rebus his à dominio minime distinguitur. Postremò inquit, non est uerisimile mentem Nicolai Tertij fuisse, reseruare sibi dominium unius oui, siue casei, aut frustuli panis, & aliorum usu consumptibilium, quæ sæpè ipsis Fratribus ad consumendum statim, alioqui breui peritura, conferuntur. Quarto idem Ioannes XXII. reseruato Romanæ Ecclesiæ dominio Ecclesiarum, seu Templorum, Oratoriorum, Officinarum, domorum, librorum, & aliorum supellectilium, quæ Franciscani habebant, uel in posterum erant habituri, abicit dominium ceterarum rerum, quæ usu consumuntur, & renocat suorum antecessorum priuilegia: quibus tale dominium Ecclesiæ Romanæ reseruauerant. Prohibet etiam, quo minus in iudicio, uel extra illud Procuratores à Fratribus constituti nomine Ecclesiæ Romanæ de talibus rebus deinceps litigent: nec in ceteris quicquam derogat Pontifex Regulæ sancti Francisci. In Constitutione, *Cum inter*, definit, hæreticam esse sententiam asserentem, Christum, ac eius Apostolos nihil proprium priuatim, aut communiter habuisse, & sic nec ius ullum utendi rebus acceptis, nec uendendi, seu donandi, & ex ipsis alia acquirendi: Quæ, inquit, sententia expressim cum Euangelio pugnat, ubi Christum, & discipulos eius loculos habuisse, legimus, & aliqua emisisse, & prætium soluisse. Deinde cum Guilielmus Ocham, & alij quidam calumniarentur ipsum Ioannem XXII. tanquam hæreticum, duasque eius prædictas Constitutiones tanquam plenas erroribus carperent, & damnarent, edidit & aliam Constitutionem huius principij, *Quia quorundam*, ubi omnia à se in duabus illis Constitutionibus definita confirmat, & obrectatoribus suis, calumniatoribusque responderet. Atque hæc quidem de tota lite, quæ, ut ait Cardinalis Zabarella, cõturbauit ea tempestate quamplurimos.



Tota igitur quæstio præsens est, An Decreta Ioannis XXII. in hac controuersia pugnent cum Constitutione Nicolai Tertij. Quidam opinantur Ioannem XXII. ante obitum, sua, quæ in hanc rem ediderat, Decreta reuocasse: Quæ quidem opinio mihi non placet, quoniam ea iuri communi sunt inserta. Aiunt alij nequaquam sibi esse contraria horum statuta Pontificum; cum Nicolaus solum doceat, in rebus, quæ in usu non consumuntur, dominium ab usu separari, & feruari. Ioannes verò XXII. de rebus, quæ usu ipso consumuntur, sermonem habet. Cæterum nec hoc mihi placet: nam vterque Pontifex agit de rebus, quæ usu consumuntur: & vnus quidem affirmat dominium ab usu separari, alter verò negat. Postremo, alter affirmat nihil proprium priuatum, & communiter possidere, esse paupertatis arctissimæ, & perfectissimæ vitæ, alter negat, nimirum Ioannes XXII.

Mihi videntur in huiusmodi controuersia sanè dubia, & perplexa, nonnulla contineri, quorum alia pertinet ad quæstiones facti, alia ad quæstiones iuris. Quæstio facti est, quod antecessores Ioannis XXII. dominium supellestiliū, quibus Franciscani vtuntur, Romanæ Ecclesiæ referuauerint: Ioannes XXII. ait, non fuisse eorum mentem referuare, vel saltem si referuauerunt, se tale dominium deponere. Ad Fidem verò, vel mores non pertinet quæstio facti, nec quod vnus Pontifex priuet se dominio etiam, quod alius sibi voluit retinere. In facto etiam consistit, quod antecessores Ioannis XXII. voluerint, vt Procuratores Franciscanorum in iudicio, vel extra illud, nomine Ecclesiæ Romanæ de huiusmodi bonis agerent: Ioannes XXII. prohibuit, quo minus in posterum agerent. Facti etiam quæstio est, an talis dominij referuatio, quam antecessores Ioannis XXII. probauerant, ipsis Franciscanis profuerit, an secus. Nam Ioannes XXII. asserit nihil profuisse, quia ipsi Fratres nihilominus in iudicio, & extra illud litigabant, tanquam dominorum suarum: qui certè illorum Fratrum abusus videtur fuisse. Quæstiones iuris sunt, an Christus, & Apostoli proprium quid aliquando in commune habuerint: in qua Ioannes XXII. definit esse hæreticam sententiam, cum scripturis pugnantem, asserere eos nihil vnquam proprium habuisse: in quo nihil cum Decretis Nicolai Tertij pugnat, qui etiam apertè fateatur Christum, & Apostolos aliquid proprium in commune habuisse, veluti loculos, & id genus alia. **In hac itaque** controuersia nequaquam sibi Pontifices aduersantur: & certa, ac firma est definitio Ioannis XXII. quæ cum sacris literis congruit Christum eiusque discipulos aliquando in commune aliquid possedisse: sed Nicolaus Tertius verissimè etiam definit, eos habuisse quidem proprium in commune aliquando; sed nihilominus docuisse etiam summam paupertatem in eo, quòd aliquando nihil proprium habuerint. Neque enim hæc duo secum inuicem pugnant, Christum, & Apostolos nihil proprium in commune aliquando habuisse, & aliquando habuisse: nam diuersis temporibus vtrumque Christus vitæ suæ exemplo docuit, vt perfectis, & minus perfectis viam perfectionis ostenderet. Iuris quoque quæstio est,

paupertas, qua nihil proprium priuatum, & communiter possidetur, sit nec ne maior vitæ Christianæ perfectio. Et quidem Nicolaus Tertius videtur definisse esse maiorem, cum affirmat Christum in loculis, quos habebat, infirmorum minusque perfectorum personam sustinuisse: & Fratres Minores eo ipso, quod nihil in commune possident, magis à temporarijs bonis remotos perfectiori vitæ studere: at verò Ioannes XXII. videtur oppositum definire voluisse, in eo quòd tradit Prædicatores, & Minores in arctissima viuere paupertate, nec proprietatem rerum in commune, quicquam de perfectione vitæ Christianæ detrahere. Immo addit prædictus Pontifex Innocentium Quintum, cum docet, arctam esse Paupertatem, qua pauca quædam priuatum, & communiter possidentur: arctiorem, cum nihil proprium priuatum, sed in commune tantum possidetur: arctissimam cum nulla rei proprietate priuatum, & communiter habetur, id dixisse tanquam priuatum personam, non tanquam publicam. Equidem negari non potest, nonnulla ex parte Ioannem XXII. & Nicolaum III. sibi inuicem in speciem aduersari; sed in re tamen, quæ minimè ad Fidei, & morum decreta pertineat: nec omni ex parte verè, sed in speciem tantum, nomine, non re ipsa. Neque enim Ioannes XXII. inficiari vult maiorem esse paupertatem, cum omnia propria priuatum, & communiter abijcimus; sed id vnum solummodo contendit; maiorem non in hoc Christianæ vitæ perfectionem inesse; cum perfectio Christiana sit Charitas, paupertas verò, perfectionis acquirendæ instrumentum; quare in minus arcta paupertate maior vitæ perfectio aliquando consistit. At verò Nicolaus Tertius definit, paupertatem arctiorem eam esse, qua se homines abdicant, priuatum, & communiter rebus; ac proinde Dei causa, hoc est, charitate susceptam, esse maioris fructus, & præmij apud Deum.

Tertij iuris quæstio, atque controuersia inter eos Pontifices est, an in rebus, quæ usu consumuntur, Vfus à dominio seiungi queat. Nicolaus Tertius apertè tradit Vsum iuris minimè à Dominio separari; bene tamen Vsum facti: & Fratres Minores facti duntaxat vsum habere, non iuris. Ioannes verò XXII. oppositum omnino videtur ostendere: in quo etiam non nihil, & potius in speciem, quam re ipsa videntur ij duo Pontifices sibi esse contrarij. At quæstio hæc ad Fidem, & mores non pertinet, sed ad ius Ciuile. Et si diligenter vtriusque Pontificis rationum, & argumentorum momenta ponderemus, probabilior, & verior videtur Nicolai Tertij sententia, quam Ioannis XXII. Quod vt commodius percipiatur, sciendum est, Vsum facti esse duplicem, vnum licitum, & proinde iustum, cum rem in nostrum vsum consumimus, vt puta oleum, vinum, panem, vestem, pecuniam, & huiusmodi cætera, sed nutu, & voluntate veri domini, qui potest rem suam repetere, quamdiu consumpta à nobis non est: qualem vsum habet seruus, & etiam is, qui ab aliquo ad conuiuium inuitatur. Alter verò vsum facti est illicitus; vt cum fur rem furtiuam in aliquos vsus impendit, vterque vsum à dominio seiungitur, eo quòd dominium est ius, & facultas vtendi re in quemlibet vsum, sed quæ ex al-



terius nutu, & voluntate non pendeat. Fratres igitur Minores tanquam coniuuæ quidam, vel à Romano Pontifice, vel ab ijs, qui ipsis eleemosynas largiuntur, inuitantur, quibus nempe victus, vestitus, & cætera ad studium, cultum, ac ministerium diuinum necessaria subministrantur. Argumenta verò Ioannis XXII. probant quidem vsum iuris, qui est facultas vtendi rebus in proprium commodum, salua earum substantia, à dominio minime separari in ijs, quæ vsu consumuntur, quando talis facultas ita nostra est, vt nõ sit alienæ voluntati subiecta: sed hic vsus non est facti, nec cadit in Fratres Minores. Cum ergo quaeritur, num Frater Minor, quum edit panem, licitè consumat? Respondeo, licitè consumere. Cum deinde infertur, ergo iustè: Non nego. Cum subinde, ergo habet vsum Iuris: Distinguo. Habet quidem vsum facti licitè, ac iustè, quia voluntate Domini panem edit, & consumit; sed non tamen vsum iuris habet, qui ipsi absque alterius nutu, & voluntate conueniat: talis enim vsus, qui ex aliena voluntate non pendet, dominium tribuit, ac præstat in pane.

IOANNIS AZO-  
RII LORCITANI, E SO-  
CIIETATE IESV,  
INSTITVTIO  
NVM MORALIVM,  
LIBER XIII.  
CAPVT PRIMVM.

*De certis quibusdam Priuilegijs, Ordini-  
bus Religiosorum Mendican-  
tium concessis.*

**P**RI MO quaeritur, Quo modo, quaque occasione Fratrum Mendicantium Ordines fuerint prima sua priuilegia consequuti. Antequam Mendicantium Ordines fundarentur, florebant, ab antiquis Ecclesiæ temporibus Monachorum, & Canonicorum etiam Regularium instituta: erecti verò, & stabiliti Mendicantium Ordines, multa præter Monachorum commune ius, institutum, morem, ac disciplinam solitam introduxerunt, non sine causa videntur, ideoque non multò post, maleuolorum, & obreptatorum calumnijs, ac molestijs appeti, & infestari cœperunt: Nec vulgares homines eos vexauerunt, sed literati, & docti, qui studio nescio quo pietatis, ac veritatis adducti, & perimori videbantur. Guilielmus quidam in oppido Amatoris apud Sequanos natus, idemque Bellovacensis Canonicus, & Odo cognominatus, de Duaco, Giraldus Sigerius, & alij Doctores Pari-

sienfes Sorbonici, non solum in templis ad populum habitis concionibus, & in scholis publicis disputationibus, sed etiam scriptis libris multos errores in Vulgus sparsere; docentes Religiosos, siue Fratres Mendicantes fas non esse docere, concionari, sacras poenitentium confessiones audire, Sacramenta ministrare: debere item eos suis manibus laborare ad victum, & vestitum sibi comparandum; & omnino eos, qui corporis viribus valerent, ad laborandum esse adigendos: Ad hæc, non licere eis secularium Doctorum, ac Magistrorum numero adscribi, ad honorificos eorum gradus, & titulos prouehi, & insignia deferre: tãdem nemini ius esse se suis rebus vniuersim abdicare, nec esse licitum ei, qui firmo corpore fit, viribusque sanis, & integris, ex cibo mendicato viuere, & sustentari.

Hæc calumnijs, & erroribus sparsis, illi Theologi, vehemèter sanctæ Parisiensis Academiæ conturbauerunt: vt proinde S. Thomas opusculum exiguum ediderit cõtra impugnantes Religionem: Sanctus quoque Bonauentura Apologia, & Opusculis conscriptis eos egregiè confutauit: Alexander item Halensis non nihil in eandem sententiam scripsit, eiusmodi persecutionis procella excitata videtur Apostolicam Sedem tenente Innocentio Quarto. Porro Guilielmus ille, ab Alexandro Quarto est Romam euocatus, vbi auditus, conuictus, & damnatus Beneficijs omnibus spoliatus esse perhibetur, eiusque liber publicè igni exustus, & ipse auctor à sancto Ludouico huius nominis IX. Francorum Rege, tora Francia expulsus, & eiectus. Giraldus verò graui paralyti, & fœdâ lepra consumptus interijt. Guilhelmi autem liber ille, sic inscribatur. *Tractatus breuis de Periculis nonisimorum temporum ex Augustini doctrina collectum.* In eo libello continebantur contra Mendicantium Regularium cœtus eiusmodi errores: Mendicantes Fratres esse in statu periculoso, nec saluos esse posse: Non licere alicui omnia bona spontè relinquere, nec cibo mendicato viuere, etiam Christi causa: Lethaliter peccare largientes eleemosynas Fratres Mendicantibus. Itè quicquid scriptura refert de falsis prophetis, falsis Apostolis, & Antichristi nuncijs, intelligi de Religiosis mendicis. Et hæc fuit prima excitata tempestas, contra Mendicantium Ordines, qui subesse, & parere Academiæ Parisiensis recusabant.

Secunda exoriri cœpit sub Innocentio III. qui præcepit, ne Mendicantium Ordines admitteret: et seculares homines ad Diuina officia audieda diebus Dominicis, ac festis: Ne item conciones haberent ad populum in suis templis, donec omnia in singulis parochijs Missarum sacrificia facta essent; nec vllas confessiones audirent absque Parochorum permisso, & concessu. Ne vsquam concionarentur Episcopo concionante, vel alicubi concionem audiente. Item, si in eorum templis aliqui sepelirentur, ipsi Mendicantes certam pensionem Parocho soluere intra octo dies, etiam si Parochus nihil omnino petisset.

Inde Parisienses Sorbonici supra nominati Doctores ansam arripuerunt publicè docendi, priuilegia Pontificum Mendicantibus concessa, in quibus eis dabatur facultas confessiones excipi-

endi, &